

Fol. 13539

91.476
STTTZ
+Bb STCn

m 30/IX
1.800
D
Portr.-S.




Jo. Volpato inv.

Epigramma.

In effigiem Excellentſsimi Dni Rodulphi S.R.J. Comitis de Coronini fideli
Scalpro æri inciſam.

Heus tu! quid livido Spectas intentus ocello
Effigiem pulchri Mome Superbe viri?
Non frons, non oculi, non vultus, totave fallit,
Quam meritis effers laudibus, hæc ſpecies,
Namque ſubeſt animus, quo non præſtantior alter
Justitia, ingenio, dexteritate, fide.

# SPECIMEN
# GENEALOGICO-PROGONOLOGICUM
AD ILLUSTRANDAM
## AUGUSTAM HABSBURGO-LOTHARINGICAM
## PROSAPIAM
## CÆSAREO REGIO PRINCIPI
# PETRO LEOPOLDO
## ARCHIDUCI AUSTRIÆ DUCI LOTHARINGIÆ
## MAGNO DUCI HETRURIÆ &c. &c.
GORITIAM ADVENIENTI OBLATUM

A


**RUDOLPHO CORONINO**

**S. R. I. COMITE DE CRONBERG**

**L. B. IN PRÆBACINA ET GRADISCUTA**

**DOMINO QUISCHÆ, SARSINÆ &c.**

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS HUNGARIÆ APOSTOLICI EQUITE, UTRIUSQUE SACRÆ CÆSAREO-REGIÆ ATQUE APOSTOLICÆ MAJESTATIS CAMERARIO ACTUALI, SUPREMI GORITIÆ ET GRADISCÆ CAPITANEATUS CONSILIARIO, PLURIUMQUE ACADEMIARUM SOCIO. NUNC VERO AUGG. M. M. CONSILIARIO ACTUALI INTIMO, AC IN UTROQUE PRINCIPALI COMITATU IN PUBLICIS, POLITICIS, ET JUSTITIALIBUS PRÆSIDIS VICES GERENTE.



**VENETIIS A. MDCCLXX.**

**TYPIS ANTONII ZATTA.**


QUOD NUNC

NOVIS GENEALOGICIS AC HISTORICIS ACCESSIONIBUS LOCUPLETAVIT,

AD NOSTRAM USQUE ÆTATEM CONTINUAVIT,

EDIDIT


**FRANCISCUS CAROLUS PALMA**

SS. THEOLOGIÆ IN ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI BACCALAUREUS.






VIENNÆ,

TYPIS IOANNIS THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,

SAC. CÆS. REG. AULÆ TYPOGRAPH. ET BIBLIOP.

1774.




*Austriadum illustres Augusto in Stemate Ceras,*
*Certo digestas ordine, Lector, habes.*
*Heroas cernes, mixtis Diademata Lauris*
*Queis capita exornant, pluraque Sceptra manus.*
*Hac vero in serie virtute videbis avita*
*Nullum, qui titulis sit minor, ipse suis.*
*Sed* MAGNA *eum* PROLE *tamen virtutibus æquat*
*Una omnes, regnat quæ modo* MAGNA PARENS.


GORIŠKA KNJIŽNICA „FRANCE BEVK" Nova Gorica
N 82.380 / 1978


Ausg. 4-05
6



Auctor inv. Mansfeld sc.

CELSISSIMO S. R. I. PRINCIPI

# MARTINO GERBERTO AB HORNAU

O. S. BENEDICTI AD S. BLASIUM IN SILVA NIGRA ABBATI

FRANCISCUS CAROLUS PALMA

FELICITATEM.

*Cum ſpecimen Progonologico-genealogicum* AUG. *Domus Habsburgo-Lotharingicæ, novis per me acceſſionibus locupletatum, ac ad noſtram uſque ætatem adductum, luci publicæ dare parabam, non diu mihi deliberandum fuit, cujus illud nomini inſcribi oporteret:* TIBI *certe* PRIN-

CEPS CELSISSIME! *vel potius operi ipſi multis titulis hic honos debebatur. Specimen hoc, ut triennio abhinc Venetiis editum fuit, Auctorem habuit* EXCELLENTISSIMUM AC ILLUSTRISSIMUM D. RUDOLPHUM CORONINUM S. R. I. COMITEM DE CRONBERG, *Virum a doctiſſimis lucubrationibus ſuis in orbe literario notiſſimum. Poſtquam enim in Academia Regia Thereſiana Vindobonenſi adoleſcens adhuc, facem præferente Magno illo* P. ERASMO FROELICHIO *res Goritienſes rara felicitate illuſtrare cepiſſet; adeo tum literarios labores adamavit, ut nullo deinceps tempore, etiam cum publicis muneribus admotus, Reipublicæ vacare juſſus fuit, eosdem dimiſerit: ſapienter nempe exiſtimavit, literarum tractationem adeo non dedecere illuſtre genus dignitatemque ſuam; ut potius inde novum huic decus atque ornamentum accedat: neque Reipublicæ quidquam detrimenti propterea metuendum eſſe, quando tum demum ea feliciter ſtare exiſtimanda eſt, cum conſiliis tribunalibusque viri omnigena eruditione conſpicui præſunt. Certe* AUG.

DO-

DOMINA *noſtra æquiſſima meritorum æſtimatrix*, *non modo pluribus nuper verbis coram declaravit*, *quanti faceret*, *Virum hunc Excellentiſſimum primam in Academia ſua Thereſiana inſtitutionem accepiſſe*; *verum etiam ob perſpectam ſibi virtutem*, *ſcientiam*, *rerumque tractandarum dexteritatem*, *eundem Goritienſi Conſilio Vicario Præſidis jure ſemeſtri abhinc præfecit*: *quo tempore in perenne* AUGUSTÆ SUÆ *gratiæ pignus*, *elegante pixide aurea*, *nummismatibusque*, *Academiæ Regiæ Thereſianæ A. 1746. ab ſe conditæ memoriæ cuſis*, *donatum in Provinciam dimiſit.*

*Cum hoc tali tantoque viro* PRINCEPS CELSISSIME *arctiſſimam tibi neceſſitudinem intercedere probe mihi cognitum perſpectumque eſt.* *Hanc* TU *multis argumentis teſtatus fuiſti non modo coram*, *cum longiore tempore ſub exitum anni prioris iſthic Vindobonæ ageres*; *verum etiam abſens*, *cum in eruditiſſimis operibus tuis*, *præſertim dum res genealogicæ definiendæ erant*, *illius & ſæpius & multa cum laude meminiſti.*

*Neque Excell.* C. CRONBERGIUS *in ſua adverſus* CELSITUDINEM TUAM *amicitia teſtanda parcior fuit. Ut alia omnia præteream, luculentum præbet teſtimonium vel hæc icon epiſtolæ huic nuncupatoriæ præfixa, Vetuſtæ Illuſtrisque gentis* TUÆ *inſignia propriaque* TIBI *encomia referens: quam ſuomet ingenio adumbratam æri incidi juſſit, ceu publicum perpetuumque ſuæ in* TE *amicitiæ monumentum.*

*Æquiſſimum itaque mihi videbatur, opus hoc* CELSITUDINI TUÆ *ſacrare, velut pignus quoddam mutuæ illius, qua intime conjuncti eſtis, neceſſitudinis: ut taceam Excell.* C. CRONBERGII *repetitam ſæpius voluntatem: qui cum ſpecimen hoc arbitrio meo augendum proſequendumque commiſit, diſerte una cavit, ut illud* CELSISSIMO *Nomini* TUO *inſcriberem. Juſtis ejus votis lubens annui, præſertim poſtquam pro ſuo in amicos ſtudio, effecit, ut aliquo apud* CELSITUDINEM TUAM *eſſem loco: id quod maximi inſtar beneficii habeo, ſemperque habebo. Certe vix dictu eſt, quantis inceſſerim lætitiis:*

*cum*

*cum ex humaniſſimis tuis literis, ſingularem* CELSITUDINIS TUÆ *in me propenſionem benevolentiamque intellexi. Atque hinc altera mihi enata videbatur cauſa, ut opus meis curis recuſum, mihi æque ac Excell.* C. CRONBERGIO *commune, duplicis jam neceſſitudinis vectigal tibi* PRINCEPS CELSISSIME *dicaretur.*

*Quanquam non pauca ſunt in opere hoc noſtro, quæ ad te pertinent: in augenda enim proſequendaque ſerie genealogica* AUG. *Domus Habsburgicæ inde a* RUDOLPHO I. *usque ad noſtra tempora* TE *fere ducem ſecutus fui: ut qui in* ERUDITISSIMO *Opere* TUO MONUMENTORUM AUG. DOMUS AUSTRIACÆ *ac nominatim in* TABULIS NECROLOGICIS, *univerſam* RUDOLPHI I. *poſteritatem maximis tuis curis & laboribus conquiſitam, uno in conſpectu exhibuiſti. Quod opus quoniam ab eruditis ſummo cum plauſu acceptum fuit, non eſt, cur de ejus præſtantia hic quidquam dicamus. Equidem habebit* TIBI PRINCEPS CELSISSIME *gratiam* AUG. *Domus: quod illius* AUGG. *Majo-*

*res*

*res, & calamo* TUO *& ſepulcralibus monumentis æri inciſis, atque vulgatis, ab oblivione vindicaveris: habebit gratiam, quod pia nonnullorum ex* AUG. *Domo Principum oſſa in variis Helvetiæ nunc proteſtanticæ locis ſepulta,* AUG. MARIA THERESIA *favente ſummo ſtudio eruta collegeris, honeſtioreque ſepultura in Eccleſia S. Blaſii nuper condi curaris: habiturus, donec Auguſta illa D. Blaſii per* TE *erecta moles ſtabit, perenne* TUÆ *in venerandos illos cineres pietatis, &* AUG. M. THERESIÆ, *quæ* AUG. *Majoribus ſuis novum apud* TE *quietis locum delegit, gratiæ monumentum.*

*Eruditiſſimo huic operi, quo Doctiſſimorum ex Antiquiſſimo meritiſſimoque Ordine veſtro Virorum* Hergotii & Rusquini *ad illuſtrandas res Habsburgicas conatus feliciter abſolviſti, addendus* Codex Epistolaris RUDOLPHI I. *Imperatoris doctiſſimis adnotationibus* TUIS *illuſtratus, &* Fasti Rudolphini, *inſigni judicio, accuratione atque ordine concinnati, queis Magni illius Auſtriacorum Principum Parentis virtutes & res geſtas poſteritatis memoriæ commendaſti. Prætereo hic innumera alia opera* TUA,

*qui-*

*quibus res ſacras præſertim elucubratus es* (*), *non ſine immortali nominis* TUI *gloria, qua ſublimi illi S. R. I. Principum, quo Abbatia tua fulget, dignitati novum ſplendorem adjeciſti. Tanto igitur cum ſis in omnigenæ eruditionis incrementa ſtudio, non dubito literarium, quod offero munus, vel ex hoc capite* TIBI *fore gratiſſimum.*

*Re-*

(*) En ſi placet. Martini Gerberti nunc S. R. I. Principis & Abbatis San-Blaſiani Opera:

I. *Principia* Theologiæ Exegeticæ. II. *Principia* Theologiæ Dogmaticæ. III. *Principia* Theologiæ Symbolicæ. IV. *Principia* Theologiæ Miſticæ. V. *Principia* Theologiæ Moralis. VI. *Principia* Theologiæ Canonicæ. VII. *Principia* Theologiæ Sacramentalis. VIII. *Principia* Theologiæ Liturgicæ. IX. Apparatus ad eruditionem Theologicam. X. Theologia vetus & nova circa realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia. XI. *Diſſertatio* de recto & perverſo uſu Theologiæ Scholaſticæ. XII. Demonſtratio veræ religionis veræque Eccleſiæ. XIII. *Diſſertatio* de legitima poteſtate Eccleſiaſtica circa ſacra & profana. XIV. *Diſſertatio* de communione poteſtatis Eccleſiaſticæ inter ſummos Eccleſiæ Principes. XV. *Diſſertatio* de Radiis Divinitatis in operibus naturæ, providentiæ & gratiæ. XVI. *Diſſertatio* de æqua morum cenſura adverſus rigidiorem & remiſſiorem. XVII. *Diſſertatio* de Dierum feſtorum numero minuendo & celebritate amplianda. XVIII. *Diſſertatio* de Peccato in Spiritum ſanctum. XIX. *Diſſertatio* de eo quod eſt Juris divini circa ſacramenta. XX. *Diſſertatio* de ſelectu Theologico. XXI. *Diſſertatio* de felicitate Chriſtiana hujus vitæ. XXII. Iter Alemannicum. Accedit Italicum & Gallicum. Præter hæc opera Typis vulgata, propediem habituri ſumus *Commentarios*: de Cantu & Muſica ſacra, a prima Eccleſiæ ætate usque ad præſens tempus; de vetere Liturgia Alemannica ac denique collectionem peramplam Scriptorum Eccleſiaſticorum de re muſica, Græcorum, Latinorum, & Theotiſcorum, ut ex literis, quas Celſiſſimus Princeps Abbas VII. Idus April. anno hoc ad nos dedit, intelleximus.

*Reliquum eſt, ut quid altera hac* Speciminis Progonologico-Genealogici *editione a me præſtitum ſit, paucis explicem. Excellentiſſimus æque ac Doctiſſimus Comes* Cronbergius *præterquam quod Habsburgicos æque ac Lotharingos Principes ex uno eodemque ſtipite* Ethicone I. *Alemanniæ Duce originem traxiſſe oſtenderit; ſeriem una genealogicam: ac Lotharingicæ quidem Domus inde ab* Eberhardo IV. *Alemanniæ Duce uſque ad* Antonium *Lotharingiæ & Bari Ducem; Habsburgicæ vero a* Guntramo Divite *uſque ad* FERDINANDUM I. *Cæſarem ſuccincta narratione deduxit: his adjecit Auguſtiſſimi Cæſaris* JOSEPHI II. *titulorum ac inſignium, prout in Sigillo majore Cæſareo collocata ſunt, eruditam ſane explicationem, ac denique immortali memoria dignam* Arborem Progonologicam *Sereniſſimi M. Ducis Hetruriæ, Archiducis Auſtriæ.* PETRI LEOPOLDI *Sereniſſimis prolibus ſerverituram. Ego poteſtatem nactus digniſſimi hujus operis recudendi, ceteris, ut erant, relictis, ſeriem genealogicam ab* Eberhardo IV. *uſque ad* Antonium *Loth. & Bari Du-*

cem,

*cem*, A GUNTRAMO *item uſque ad* FERDINANDUM I. *novis genealogicis æque ac hiſtoricis acceſſionibus locupletiorem effeci, eidemque univerſam* ANTONII *Lotharingiæ Ducis, tum vero* CAROLI V. & FERDINANDI I. *Cæſarum poſteritatem adjeci. Præterea memoriæ juvandæ cauſa, omnes Habsburgicæ non minus, quam Lotharingicæ Domus Principes in* XI. TABELLAS GENEALOGICAS *diſpescui, ut eo clarius faciliusque uno velut obtutu univerſa* AUG. *Domus Utriuſque genealogia poſſit intelligi. Denique ad calcem totius operis collocavi noviſſime a me elaboratam* DISSERTATIONEM DE TITULIS ET INSIGNIBUS MAGNÆ MARIÆ THERESIÆ AUG., UT APOSTOLICÆ HUNGARIÆ REGINÆ; *cui adnexa eſt Tabella genealogica Apoſt. Regum Hungariæ, quæ indubitatum* M. MARIÆ THERESIÆ *cum Domeſtica Hungarorum Stirpe Regia Arpadiana ſanguinis nexum clariſſime oſtendit.*

*Tantillum erat quod præfarer.* TU PRINCEPS CELSISSIME *quantumcunque id munus eſt, quod* CELSISSIMO TUO *Nomini, in perenne meæ adverſum* TE *obſervantiæ pignus inſcriptum*

*volo, qua ſoles humanitate æqui bonique conſule, meque porro etiam* TUO *favore proſequere. Vale.*

*Dabam Vindobonæ in Academia Regia Thereſiana VII. Idus Decembris Anno poſt Chriſtum natum MDCCLXXIII.*

# CONSPECTUS
## SPECIMINIS GENEALOGICO - PROGONOLOGICI
AD ILLUSTRANDAM
## AUGUSTAM HABSBURGO-LOTHARINGICAM
PROSAPIAM.


Pag.

*Epiſtola Nuncupatoria Excell. Ill. ac Doctiſſ. Auctoris C.* CRONBERGII *ad Sereniſſimum M. Ducem Hetruriæ* PETRUM LEOPOLDUM, *primæ editioni præfixa* 1


# CAPUT I.
## DE ORIGINE AUGUSTISSIMÆ GENTIS HABSBURGO-LOTHARINGICÆ.


§. I. Pag.

*Variæ de primis Auguſtiſſimæ Gentis initiis opiniones*............... 9

§. II.

*Cl. Schönlebenii Opinio examinatur*.................................. 11

§. III.

*Proponitur ſententia, quæ ab* ETHICONE I. *Alemanniæ Duce Auguſtam Stirpem Habsburgo - Lotharingicam derivat*.............................. 12

§. IV.

*Sententia eadem a mendis repurgata explicatur*....................... 14

§. V.

*Eadem ſcriptorum autoritate firmatur*................................ 16


# CAPUT II.
## CONTINET ETHICONIS I. ALEMANNIÆ DUCIS POSTEROS: NOMINATIM VERO SERIEM GENEALOGICAM STIRPIS LOTHARINGICÆ AD NOSTRA USQUE TEMPORA CONTINUATAM.


§. I. Pag.

*Prævia deductio genealogica Stirpis Habsburgo - Lotharingicæ, inde ab* ETHICONE I. *Alemanniæ Duce, uſque ad* EBERHARDUM IV. *Alſatiæ Comitem, Lotharingorum*: & GUNTRAMUM *Divitem, Habsburgicorum Principum Progenitores* 18


§. II.

§. II.

*Deductio genealogica Stirpis Lotharingicæ ab* EBERHARDO IV. *Alſatiæ Comite, uſque ad* CAROLUM I. *Lotharingiæ Ducem*.......................... 20

§. III.

*Deductio genealogica Stirpis Lotharingicæ a* FRIDERICO V. *Lotharingo Validi montis* VAUDEMONT *Comite, uſque ad* RENATUM II. *Ducem Lotharingiæ & Bari Jeroſolymorum Regem &c.*...................................... 22

§. IV.

*Deductio genealogica Stirpis Lotharingicæ a* RENATO II. *Loth. & Bari Duce, uſque ad* FRANCISCUM I. *Loth. & Bari Ducem*.............................. 25

§. V.

*Deductio genealogica Stirpis Lothar. a* FRANCISCO I. *Loth. & Bari Duce, uſque ad* CAROLUM III. *vulgo* IV. *Loth. & Bari Ducem*.................... 28

§. VI.

*Deductio genealogica Stirpis Loth. a* CAROLO III. *vulgo* IV. *Loth. & Bari Duce, uſque ad* CAROLUM IV. *vulgo* V. VICTOREM *Loth. & Bari Ducem*.... 30

§. VII.

*Deductio genealogica Stirpis Lothar. a* CAROLO IV. *vulgo* V. Victore *Loth. & Bari Duce, uſque ad* FRANCISCUM III. *poſtremum inter Regnantes Loth. & Bari Duces, M. Ducem Hetruriæ & hujus nominis I. Rom. Imperatorem*........ 34

§. VIII.

FRANCISCI III. *Loth. & Bari Ducis poſtremi, M. Ducis Hetruriæ ac denique hujus nominis I. Rom. Imperatoris miræ viciſſitudines*.................. 38

## CAPUT III.

### DE GUNTRAMI COGNOMENTO DIVITIS COMITIS ALTENBURGI POSTERIS HABSBURGO-AUSTRIACIS PRINCIPIBUS.

§. I. Pag.

GUNTRAMUM Divitem HUGONIS I. *Feretarum Comitis fuiſſe filium ſtabilitur. Item Vitæ S. Deicolæ, ac Genealogiæ Murenſis monaſterii auctoritas breviter adſeritur*................................................ 44

§. II.

*Series genealogica Stirpis Habsburgicæ inde a Guntramo Divite, usque ad* RUDOLPHUM V. *Comitem Habsburgi, hujus nominis I. Rom. Imperatorem*... 48

§. III.

RUDOLPHI V. *Comitis de Habsburg, hujus nominis I. Rom. Imperatoris res geſtæ, conjuges, liberi, obitus, & elogium*............................. 50

§. IV.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo-Auſtriacæ ab* ALBERTO I. *Rom. Imperatore, usque ad* LADISLAUM *Poſthumum hujus nominis V. Regem Hungariæ, Bohemiæ, Ducem Auſtriæ & Marchionem Moraviæ*........................ 59

§. V.

§. V. Pag.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo - Auſtriacæ a* LEOPOLDO III. Probo *Auſt. Duce usque ad* ERNESTUM *Ferreum Ducem Stiriæ &c.* ........ 65

§. VI.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo - Auſtriacæ ab* ERNESTO FERREO *Duce, usque ad* PHILIPPUM PULCHRUM *Regem Caſtiliæ, Archiducem Auſtriæ, duarum Linearum Auſtriaco - Hiſpanicæ, & Auſtriaco - Germanicæ Parentem.* ..... 67

§. VII.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo - Auſtriacæ a* CAROLO V. *Cæſare I. Hiſpan. & Indiar. Rege, usque ad* CAROLUM II. *Hiſp. & Ind. Regem, lineæ Auſtriaco-Hiſpanicæ poſtremum.* ........ 74

§. VIII.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo - Auſtriacæ a* FERDINANDO I. *Rom. Imp. Hung. Boh. &c. Rege, Archiduce Auſtriæ, Lineæ Auſtriaco - Germanicæ Parente, usque ad* MATTHIAM II. *Hung. Boh. Regem Rom. Imp.* ........ 79

§. IX.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo - Auſtriacæ a* CAROLO *Archiduce Auſtriæ Stiriæque Duce* FERDINANDI I. *Imp. filio, usque ad* LEOPOLDUM *M. Rom. Imperatorem, Hungariæ Boh. &c. Regem.* ........ 87

§. X.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo - Auſtriacæ a* LEOPOLDO *M. Rom. Imp. Hung. Boh. &c. Rege, usque ad feliciſſime Regnantem* MAGNAM MARIAM THERESIAM AUG. *Rom. Imp.* APOST. *Hungariæ &c. Reginam, vi ſanctionis pragmaticæ, omnium Habsburgo - Auſtriacarum Provinciarum Hæredem optatiſſimam.* 95

§. XI.

MAGNÆ MARIÆ THERESIÆ AUG. & FRANCISCI I. *Rom. Imperatoris* AUGUSTI AUGG. *Proles ac Nepotes.* ........ 109

## CAPUT IV. & Ultimum.

*De Titulis & Inſignibus* AUG. *Domus Habsburgo - Lotharingicæ.* ..... Pag. 115

## ARBOR PROGONOLOGICA.

*Duorum Millium quadraginta & amplius Majorum* MARIÆ THERESIÆ *Filiæ Primogenitæ & ceterarum Sereniſſ. Prolium* PETRI LEOPOLDI *M. Ducis Hetruriæ Archiducis Auſtriæ &c.* ........ 121

*Epiſtola Nuncupatoria Excell. Ill. ac Doctiſſ. Autoris Comitis Cronbergi ad* AUG. M. MARIAM THERESIAM *primæ editioni præfixa.* ........ 123

*Arboris Progonologicæ initium.* ........ 129

XI.

XI. TABELLÆ GENEALOGICÆ, AUG. DOMUS HABSBURGO-LOTHARINGICÆ, UNIVERSAM UTRIUSQUE STIRPIS POSTERITATEM REPRÆSENTANTES, MEMORIÆ JUVANDÆ CAUSA OPERI SUIS LOCIS INSERTÆ AB EDITORE.


| | Pag. |
|---|---|
| *Tabella I. Lotharingorum* | 21 |
| *Tab. — II.* | 26 |
| *Tab. — III.* | 30 |
| *Tab. — IV.* | 38 |
| *Tab. — V. Habsburgicorum* | 50 |
| *Tab. — VI* | 65 |
| *Tab. — VII.* | 73 |
| *Tab. — VIII.* | 78 |
| *Tab. — IX.* | 86 |
| *Tab. — X.* | 94 |
| *Tab. — XI.* | 108 |


# CONSPECTUS


*Diſſertationis de Titulis & Inſignibus* MAGNÆ MARIÆ THERESIÆ AUG. *quibus ut* APOSTOLICA *Hungariæ &c. Regina gaudet, coronidis loco operi huic recens additæ* ........ 163

*§. I.*

*De Titulorum & Inſignium Sacræ* CORONÆ *Hungaricæ Uſu* ........ 165

*§. II.*

*De Regni* HUNGARIÆ *Titulo & armorum Inſignibus* ........ 167

*§. III.*

*De Regnorum* Dalmatiæ Croatiæ *&* Sclavoniæ *Titulis & Inſignibus* ........ 168

*§. IV.*

*De* Ramæ *ſeu Raſciæ ac* Serviæ *Regnorum Titulis ac Inſignibus* ........ 170

*§. V.*

*De Regnorum* Gallíciæ *ac* Lodomeriæ *Titulis ac Inſignibus* ........ 172

*§. VI. & Ultimus.*

*De* Cumaniæ Bulgariæ*que Titulis & Inſignibus* ........ 183

*Tabella Genealogica oſtendens* M. MARIAM THERESIAM AUG. *ex Regia Hung. Stirpe Arpadiana per* CONSTANTIAM BELÆ III. *Regis Hung. &* ANNAM *Gallíciæ Duciſſam* BELÆ IV. *Regis Hung. filias originem ducere* ........ 184




Auctor inv. J. Manſfeld sc.

# CÆSAREO-REGIE PRINCEPS!

*Quod ſinceriſſimis votis jam dudum optabamus maxime, id hodie in te, Princeps, divino ſane munere conſecuti ſumus. Auſpicatiſſimus enim Regiæ tuæ Celſitudinis adventus tanta Goritienſem Urbem, Patriam meam, lætitia affecit, quanta illa a ſuperioris anni 1769. VII. Kalend. Auguſti non eſt perfuſa, quo die eandem ex Italia redux, Vindobonamque recta contendens Auguſtiſſimus Frater tuus* Josephus II. *Imperator gratioſiſſima ſua præſentia recreavit: etſi tanto hoſpite perfrui communi omnium mærore non niſi paucarum horarum intervallo conceſſum fuit.*

*Suo te nunc, Princeps Clementiſſime! amplexu jucundiſſimo Goritia excipit; quandoquidem in te non minus Habsburgo-Lotharingicæ Stirpis columen alterum, Hetruriæ præcipuum decus atque ornamentum veneratur; quam Filium ſalutat ſuum, longa quidem ſerie, ſuſceptum tamen, ex Eliſabetha Goritiana, Meinhardo IV. Goritiæ &*

*Tyrolis Comite genita, denupta Alberto I. Cæſari Auſtriaco, ex cujus fœcundis partubus omnis denique Auſtriaca, atque in præſens Auſtriaco-Lotharingica Domus promanavit.*

*Tuis, ut vides, Goritia advoluta pedibus, animi demiſſione quam poteſt maxima, ſtudia tibi ſua conteſtari, ac devovere contendit; tibi, inquam, ut Magnæ atque Immortalis* Mariæ Theresiæ *Imperatricis Reginæ* filio secundogenito, *nec non* Josephi II. *Cæſaris tot nominibus ubique gentium inclyti* Fratri *digniſſimo, qui communi cum Matre imperio fidelem hanc, quam quæ maxime, Provinciam ſuam adeo non ferreis ſeveritatis, ut potius (ſic enim Patriæ Patres decet) aureis clementiæ, ac gratiarum ſceptris moderantur.*

*Omnes in te uno, Cæſareo-Regie Princeps! obtutum non ſtupore minus, quam ſuavitate quadam mentis defixum tenent: non ætas quemquam, non ſexus, non valetudo retardat, quominus amœniſſimo conſpectu tuo oculos paſcat. Quem vero in ſummam admirationem continuo non rapuere exquiſitæ illæ animi, & corporis tui dotes? quæ, utut multo ante, obſtrepente undique fama, maximam de te apud nos expectationem excitarint; adeo tamen ſplendidiſſimo adventu tuo hanc ipſam ſuperarunt, ut in te præſente, perinde quaſi in unum faſcem, univerſa Prædeceſſorum tuorum Magnorum Hetruriæ Ducum collata decora, & Majeſtatem reſidere pro ſe quiſque perſpiciat. Hic tuam in avita ſacra religionem, ille mentis altitudinem, alii in moderandis ampliſſimi Ducatus habenis dexteritatem, alii in levando vectigalibus populo clementiam, alii inveteratam quamdam liberius converſandi licentiam non tantum incurrendæ infamiæ metu, quam tuo exemplo repreſſam, aliaque alii apud ſe taciti extollunt. In te primum quiſque intelligit, quam nihil admodum ſeveritati hilaritas, gravitati comitas, majeſtati humanitas in Principe unquam detrahat. Demum ad unum omnes facilitatis, munificentiæ, eruditionis, omnigenarumque virtutum apparatu a te partam gloriam & ſuſpiciunt, & meritis encomiis proſequuntur; nec tam Principi, quam tibi uno ore plaudentes in hos* Claudiani *verſus erumpunt:*

Dignus cui faſces, dignus cui purpura tanti
Imperii, & rerum commendarentur habenæ.
O Mundi communis amor!

*Cum actis retro temporibus nonnulli ex Majoribus tuis Glorioſiſſimis Romanorum Imperatoribus, aut Auſtriæ Archiducibus noſtram hanc Provinciam ſua præſentia condecorare dignarentur, qua privato, qua publico ære feſtivi ignes, triumphales arcus, turritæ pyramides, equeſtres ſtatuæ, ampla theatra, aliaque id genus ſpectacula adornabantur; his accedebant ſymphoniacorum fidibus, tibiis, ac modulate canentium chori, queis* Senatus, Populusque Goritienſis *Auguſtos Hoſpites pro dignitate reciperet. Publicas*

*has*

*has inter ſeu hilaritatis, ſeu obſervantiæ ſignificationes nullis non ætatibus acceſſere privatorum ſtudia, quorum de numero nonnulli incredibili lætitia geſtientes, egregiæ erga advenientes Principes fidei, atque devotionis ediderunt ſpecimina, excitatis etiam interdum, quo poſteris tam proſperi eventus proderetur memoria, ſplendidis pro viribus in illorum honorem monumentis.*

*Propriis ſuis etiamnum Principibus parebat Goritia, quum Rudolfum IV. Auſtriæ Ducem huc venientem (ut matrimonii contractum inter fratrem ſuum Leopoldum III. Auſtriacum, & Catharinam Meinhardi VII. Goritiæ Comitis filiam celebraret) anno 1361. Nobiliſſimi Dynaſtæ de Dornbergo, per id tempus in paucis florentes, in propriis ædibus convivio exceperunt; quod convivium tantum non regia magnificentia, ac profuſione adornatum fertur.*

*Quando Mauritius Saxoniæ Dux cum Henrico II. Galliarum Rege icto fœdere ſub annum 1552. adverſus Carolum V. Imperatorem, Oeniponte degentem, cum Exercitu ab omni bellica re inſtructiſſimo recta contenderet, Cæſar cognito improviſo rebellis Ducis adventu, ſpatium ad ſeſe colligendum minime habuit; quare adverſa utut præpeditus valetudine, pluvio, ac nimboſo cælo, noctis ſilentio, lectica vectus cum fratre Ferdinando Rege, & quotquot aderant Principum Legatis, magna trepidatione, facto per Carinthiam itinere, Goritiam demum ſeſe recepit: ubi ad Berlinos, noſtrates Cives opulentiſſimos, cum univerſo aulico Comitatu divertens, lautiſſimum expertus eſt hoſpitium, teſte pictura hunc Caroli V. adventum memoria dignum repræſentante, quæ temporis vitio paululum labefactata parieti hodie etiamnum inhæret, ac conſpici poteſt in Ædibus olim Berlinianis, perpetua hoc nomine immunitate donatis.*

*Carolo Auſtriæ Archiduci, Divorum Ferdinandi I. Imperatoris filio, & Ferdinandi II. Cæſaris parenti, anno 1567. Goritiam petenti Raymundus Comes Turrianus obviam proceſſiſſe fertur Equitibus quadringentis amplius ſtipatus, ex præcipuis ut plurimum Goritienſibus, atque Forojulienſibus Nobilium Proſapiis, propria induſtria in unum coactis.*

*Poſt Carolum vero Archiducem ex auſtriacis Principibus ante Leopoldum Imperatorem neminem unum Goritia vidit. Iſte cum anno 1660. ad recipiendum ab Ordinibus debitum fidelitatis juramentum huc appuliſſet, pompa apparatuque perquam auguſto ab ipſis, quibus tunc Urbs hæc conſtabat, Ordinibus exceptus eſt: publici tamen plauſus declarationem ſin minus ſuperavit, adæquavit certe impenſa ea occaſione Triumvirorum Goritienſium ſolicitudo, qui præ cæteris Leopoldinæ laudi, atque gloriæ ſervire cupientes, quidquid ingenio, arte, aut opibus aſſequi poterant, quo celebrior tanti Monarchæ redderetur adventus, id totum contulerunt. Primus P.* MARTINUS BAUZERUS *e Societate Jeſu Sacerdos in Patriæ Annalibus longe verſatiſſimus, ſimulato* Gaudentii Hilarini *nomine, latinam Orationem veterum, queis olim florebat Goritia,*

*Comitum prærogativas complectentem, publicis prælis in lucem edidit. Alter* Joannes Jacobus de Ischia *Archipresbyter Palmenſis Panegyricam Lucubrationem cum titulo* : Le gare d'affetto, e gli affettuoſi gareggiamenti praticati tra le due non men Reali, che Sereniſſime Caſe d'Auſtria, e di Goritia: *ipſi Cæſari dedicatam exhibuit. Tertius denique Fridericus Comes ab Attems Cæſareus Cubicularius, & Ducatus Carnioliæ Vicedominus in foro Urbis principe, vulgo* Traunich *dicto, nocturnum idemque magnificum eidem Leopoldo Imperatori de ſuo ſpectaculum dedit, machinis e Pyrotechniæ legibus affabre compoſitis, quod poſtmodum Cæſareus Heraldus Laurentius de Churelichz in Itinerario Leopoldino Viennæ typis excuſo anno 1661. pag. 124. & 125., nec non Rev. Joannes Maria Maruſig in Deſcriptione MS$^{ta}$ ſolennis ingreſſus, & fidelitatis juramenti a Goritienſibus Leopoldo Imperatori nuncupati, fuſe admodum litteris ſunt perſecuti.*

*Quid jam commemorabo de Joanne Caſpare Comite a Cobenzl, Patritio quidem Goritiano, ſed ſupremo in Aula Auguſtiſſimi Caroli VI. Imperatoris Cubiculariorum Præfecto? is ut commodam tranſeunti, hucque ad recipiendam in ſuam clientelam Provinciam hanc tendenti Hero ſuo ſtationem pararet, medio inter Goritiam, & Labacum itinere, in propriæ ditionis fundo, Magnificum Planinæ Caſtrum a fundamentis erexit ad annum 1728., ubi Auguſtus Labaco primum digreſſus, pridie quam Goritiam ingrederetur, diverſatus eſt cum omni ac multo ſplendidiſſimo aulico ſuo comitatu; in reditu autem, ſuſcepto per Japidiam, & Tergeſtum itinere, cum non mediocri animi ſui oblectatione inibi de integro noctem unam exegit.*

*Næ præclaris horum exemplis ego vehementius incitatus (qui tot tamque ingentibus beneficiis ab Auguſtiſſimæ Familiæ tuæ benignitate adhuc me cumulatum intueor, ut mea, ſi qua tamen ſunt in me, merita, his longe multumque ſuperari intelligam, neque re ulla magis diu, noctuque ſollicitor, quam ut Cæſareæ in me munificentiæ pro virili reſpondeam) hiſce, inquam, exemplis incitatus, ſimul atque de Regiæ tuæ Celſitudinis ad nos expectatiſſimo adventu cognovi, mecum ipſe tacitus volvebam animo, quo potiſſimum obſequii genere pietatis in me tuæ ſingularis, atque obſervantiæ tanto Principi debitæ tributum perſolverem? Dum ſic incertus animi pendeo, dubium illud ſubiit: utrum ſplendido, pretioſove Monumento aliquo* Petri Leopoldi Archiducis *gratiam mihi conciliare poſſem, an ſecus? quandoquidem Auguſtiſſimus* Frater *tuus ſumptuoſam pompam, publicique plauſus apparatum omnino omnem non tam Stoico quodam faſtu, quam incredibili, qua præditus eſt, animi celſitudine, ac moderatione reſpuere videtur. Quid pulchrius quam ſi neminem oneret, omnes honoret Principum in Provincias introitus, ſi non tam pompis, quam animis, non magnificentia magis, atque amore a Civibus excipiatur? ſuo idem exemplo toti Orbi demonſtrans, virtutem eſſe,*

- - - - - - quæ ſtrepitus faſtidit inanes,
Inque animis hominum pompa meliore triumphat.

*Hinc*

*Hinc adduci profecto non potui, ut crederem, ſeu modeſtiæ ſeu mentis magnitudini, Auſtriacis cumprimis Principibus congenitæ, quidquam æque convenire, ac Litterarium aliquod Documentum, quo grata atque antiqua obſequentiſſimi animi mei ſenſa advenienti Domino meo Clementiſſimo, quem ſexennio integro ereptum oculis dolui, in memoriam revocarem; nec enim hæc recordatio tibi erit, ut ſpes eſt, injucunda, qui priſtinam humanitatem in iſto dignitatis faſtigio etiamnum retines, & quantum novis honorum incrementis major (ſi quidem creſcere quoquo modo potes) tanto melior, clementiorque es redditus.*

*Patere itaque, quæ tua eſt, Sereniſſime Archidux, clementia, ut tot inter ex animo gratulantium officia, meum hoc qualecunque demum cum venerationis teſtimonium, tum ingenii mei conatum devoveam. Accipe brevem* Gentis Habsburgo-Lotharingicæ *notitiam, inde a primis incunabulis ad Ferdinandi I. Imperatoris Auſtriaci, atque ad Renati II. Lotharingiæ Ducis tempora perductam; cui adnexam invenies* Arborem Progonologicam *duorum millium quadraginta, & amplius Majorum* filiæ tuæ Mariæ Theresiæ, *addita ſimul Præfatione ad* Mariam Theresiam Imperatricem Matrem tuam *glorioſiſſimam, quæ hocce, tenue illud quidem, obſervantiæ in ſe meæ vectigal ſibi minime fuiſſe ingratum, cum perhumana Operis acceptatione, tum Auguſta munificentia non obſcure comprobavit.*

*Hanc eandem Arborem nonnullis mendis, quæ irrepſerant, purgatam, pluribus acceſſionibus locupletatam, & præliminari Genealogica Notitia magis illuſtratam devotiſſima veneratione tibi offero, Cæſareo-Regie Archidux! non quod id, ſi pretium, & Libri molem ſpectes, tanto Principe dignum munus exiſtimem, ſed quod plane confidam ſumme illuſtre ac ſplendidum argumentum, iſthic pertractatum, non inamœnum tibi, non injucundum fore. Te, Auguſtiſſimoſque tuos Majores, ut tute vides, Opus hoc complectitur, non tam ad oſtentandam eruditionem (ut Scriptores plerumque facere conſuevere) concinnatum, quam ad nova quadam luce colluſtrandam, poſteriſque magis magiſque prodendam Imperatoriæ tuæ Stirpis gloriam; quæ una Stirps primum generis antiquitate, tum dignitatis eminentia, dein ſanguinis puritate, poſtremo denique belli, paciſque tempore Heroum numero ita fulget, ut alias ad unam omnes præcedentium Auguſtiſſimorum Cæſarum Proſapias jure merito anteire dicenda ſit, eique apprime conveniat illud Poetæ:*

O nunquam peritura cohors! o debita ſemper
Cœlo progenies, nullis obnoxia fatis!

*Leges hic, Cæſareo-Regie Princeps, infinita propemodum Imperatorum, Regum, Electorum, Archiducum, Ducum, Principum, & Comitum nomina, tecum cognationis*

 *vincu-*

*vinculo colligata. Singillatim nominatos per hujus Opellæ decurſum invenies immortales omnino Majores tuos, a quibus hæreditario veluti jure transfuſam in te avitam virtutem, non conſervatam modo, ſed novis quoque factis acceſſionibus amplificatam univerſæ Italiæ ſuffragia luculenter teſtantur, quæ Regio, divino ſane beneficio, virtutum tuarum fulgore condecorari ſe gaudet.*

*Quid de honorificentiſſimo Romanæ Urbis judicio dicam? quæ ut rerum olim fuit Domina, ſic in præſens, ut cum maxime, eſt æqua virtutis æſtimatrix. An non illius in te oculos admirationemque uno ab hinc anno ita converteras, ut jam non metallo, aut ſaxis, ſed Romanorum animis (quod enim æternæ laudis ſpecioſius monumentum?) inciſa veluti adhucdum vigeat, vigebitque perpetuo recens nominis tui memoria?*

*Hactenus famæ & rumoribus, nunc judicio ipſi noſtro, oculiſque credimus. Cernitur ſiquidem in vita, & moribus tuis mirus quidam ordo, atque concentus, profunda in omni ſcientiarum genere cognitio, ſingularis judiciorum maturitas, indefeſſa in negotiis pertractandis induſtria, & ab omni ambitionis ſuſpicione remotiſſima animi magnitudo, qua, (ut ſcis) nemo magis caret, quam qui pluris Majeſtatis titulum, ac hominis dignitatem facit (*). Quot tibi ſua Artes incunabula, quot ſua tibi in ac-*

*ceptis*

(*) Exemplo nimirum edoctus incomparabilis fratris tui JOSEPHI II. IMPERATORIS PII, FELICIS, AUGUSTI, qui ejuſcemodi Chriſtianæ Philoſophiæ imbutus præceptis, ſequentem, perpetuis Annalibus dignam, ad *Nicolaum Comitem Papini* exaravit Epiſtolam: *Io mi recorderò ſempre con piacere, mio caro Papini, del diſcorſo ch' ebbi con voi, allorchè fui di paſſagio a Forlì, e de' buoni conſigli, che voi mi voleſte dare in quella occaſione. La ſincerità, che mi avete dimoſtrata in quell' incontro non mi laſcia dubitare di quella dei ſentimenti, che voi mi date a conoſcere nella voſtra Lettera del primo decembre, e di tutti i buoni augurj, che mi fate. Tali ſentimenti eſſermi debbono tanto più grati, quanto, che ho ſaputo iſpirarveli in un tempo, in cui non ero da voi conoſciuto, che come un altro Uomo, e non decorato del fantaſma del ſublime grado, in cui è piaciuto alla Divina Providenza collocarmi, e dove per lo più i voti, che ci vengono preſentati, e le coſe che ci ſono dette, s' indirizzano fatalmente bene ſpeſſo più al noſtro titulo, che alla noſtra perſona. Conſervatemi dunque quell' iſteſſo affetto, mio caro Papini, e ſiate perſuaſo, che mai reſterò offeſo, non conſiderando in me che l' Uomo, titolo ch' io ſtimo più di tutti quelli che darmi ſi potrebbero; a che Giuſeppe preferiſce d'eſſere amato a tutte le proteſte, ed adorazioni, colle quali continuamente s'incenſa l' Imperatore. Credete pure, che avrò ſempre gli ſteſſi ſentimenti; e in tanto prego Dio, che vi tenga ſotto la ſua ſanta, e degna cuſtodia. Vienna* 1. *Gennajo* 1770. GIUSEPPE. His probe perpenſis, quis jam omnium feliciſſimas non reputaverit Auſtriacis Monarchis ſubditas Provincias? cum ipſo Divini PLATONIS ore ſancitum conſtet: BEATAS FORE RESPUBLICAS, SI EAS VEL STUDIOSI SAPIENTIÆ REGERENT, VEL EARUM RECTORES STUDERE SAPIENTIÆ CONTIGISSET. Non gravitate vocis, non vultus aſperitate, non difficultate morum, non civium contemptu, non exterorum negligentia, non magnitudinis jactantia, non diadematum fulgore, non denique exercituum terrore; ſed ratione, pietate, clementia, affabilitate, ac manſuetudine hominum corda rapiuntur. Quiſque ſibi Titum expetit, nemo non faſtum, atque Neronis tyrannidem averſatur. Aſt optimi Principes Auſtriaci, immortalibus MARIÆ THERESIÆ IMPERATRICIS REGINÆ veſtigiis inſiſtentes, ſciunt non Civium ſervitutem ſibi traditam, ſed tutelam; non Rempublicam ſuam eſſe, ſed ſe Reipublicæ; proinde ſemper præ oculis habent illud CLAUDIANI:

*Tu Civem, Patremque geras, tu conſule cunctis,*
*Non tibi; nec tua te moveant, ſed publica damna.*

*ceptis ſcientiæ referunt incrementa? Quæ, Deum Immortalem! in te elucet religio, ac pietas ſingularis? quæ in ſubditos clementia, ac liberalitas? quæ in omnes, dum faciles ad te præbes aditus, affabilitas? quæ ſacerdotalis excellentiæ veneratio, ac cura? (adeo noſti, ſacrarum rerum cultu bono Principi nihil debere eſſe antiquius, quo uno ſecundum Deum, populi etiam amorem, ſupra quam credi poteſt, ſibi conciliat). Quod denique, ne infinitus ſim, in te juſtitiæ ſtudium, ante omnia etiam in diſceſſu Hetruriæ Magiſtratibus procul dubio impenſe commendatum? ut quam glorioſe, tam vere tibi Goritiam ingredienti non inconcinne adſcribi poſſent illa* Sannazarii *carmina:*

Lætus ades Leopolde! tuas ex ordine laudes
   Exequar, auſpiciis fama petenda tuis.
Nam quanquam antiquis Regum bene fulta triumphis
   Stat Domus, & tantis ſe tibi jactat Avis;
Majorum tua non titulis innixa recumbit
   Gloria nec priſcis geſtit imaginibus:
Sed certat magnos virtus anteire Parentes,
   Æternum & vera laude parare decus.

*O felix profecto Hetruria! in te enim eum Principem nacta eſt, qui talem opere ipſo ſe ſuis Civibus probat, quales ſæpe Principes ſe fore tantum aut meditantur, aut pollicentur. Nullum certe præſtabilius, ac pulchrius Dei munus, quam omnibus animi ornamentis inſtructus Princeps, ſubditis ultro faciens ea, quæ alio imperante ſibi fieri vellet, civibus ſuis proſpiciens, publicis conſulens commodis, minimam privatæ ſuæ utilitatis curam gerens. Quanquam vereor longius cum modeſtia tua pugnare; nec conſiderandum minus quid aures tuæ pati poſſint, quam quid eximiis tuis virtutibus debeatur. Veniet aliquando dies, quum aut ſine aulicæ aſſentationis ſuſpicione, aut ſine ingenui pudoris tui offenſione ſera te carmina colent, honorque æternus Annalium celebrabit.*

*Tu interea, Sereniſſime Princeps, pro ea, qua tantopere commendaris benignitate, rudi meo ſtylo veniam tribues, ſpero, qui nudam (ut* Schönlebenii *phraſi utar) ſecutus veritatem, elegantiarum deſtitutus ornatu ad apices, & faſtigia humanæ potentiæ, ac nobilitatis provolare eſt auſus: has autem Familiæ tuæ* Genealogicas *notitias, &* Progonologicam Arborem, *clementi (ut ſoles) vultu admittere ne dedigneris; pro quo æterno in me clientem tuum beneficio ſi parem gratiam referre non potero (quam omnino non potero) certe ætas, aut tempus nullum tanti muneris obliterabit memoriam.*

*Illud ſimul firmiſſime tibi perſuaſum velim, non aliud omnino me ad has Notitias ſive colligendas, ſive publicam in lucem emittendas ſtimulaſſe, niſi tibi, atque Auguſtiſſimæ Auſtriaco-Lotharingicæ Stirpi tuæ flagrans obſequendi ſtudium; neque eas aliud*

*eſſe,*

*eſſe, niſi exiguum nunquam interituræ fidelitatis, gratitudinis, atque obſervantiæ meæ documentum, ex quo ſi nihil, aut parum in Auctoris publicam commendationem & laudem, apud æquos certe rerum judices in perpetuam tuam, tuæque feliciſſimæ poſteritatis gloriam plurimum redundabit, quam:*

- - - non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

*Quid plura? Cæſareo-Regie Princeps, ſubmiſſa Præfatione hac mea Vindobonam properantem diutius te morari non auſim. Iſthic moræ impatiens* GENITRIX AUGUSTISSIMA *una cum univerſa Familia adventus tui vix fert deſiderium. Viennenſes porro omnes ardens inceſſit cupido revidendi vultum illum, cujus conſpectu jucundiſſimo ſex annis ipſis ægre admodum caruerunt. Tuarum virtutum, quæ longe lateque percrebuit, fama*; *Hetruriæ, quam optime gubernatæ, gloria; diuturnus abſentiæ mœror, tuique amor incredibilis mirum quantum tenuit deſiderium ſpectandi cominus* LEOPOLDUM MAGNUM HETRURIÆ DUCEM, *quem benigniſſimum Numen in Germaniam iterum reduxerit.*

Eja age, rumpe moras, ſæpe invitatus in Urbem,
Regia magnanimæ limina MATRIS adi.

*Id unum fuſis ad Deum O. M. precibus efflagitare non deſinam, ut quidquid id eſt, quod Regiæ tuæ Celſitudini eſt proprium, pii in te, tuoſque Superi, non modo pacifice conſervent, ſervata fortunent, & augeant; ſed inſuper Principi, ad populorum felicitatem, Reipublicæ bonum, atque ad Hetruriæ incrementum, & decus nato vitam longævam, immortalemque largiantur. Ita ex animo vovet*

CÆSAREO-REGIÆ
CELSITUDINIS TUÆ.

CLIENTUM INFIMUS RUDOLFUS, CORONINUS
S. R. IMPERII COMES DE CRONBERG.

BRE-




# BREVIS NOTITIA
DE
## ORIGINE, INCREMENTIS, VICISSITUDINIBUS, TITULIS, ET INSIGNIBUS AUGUSTISSIMÆ GENTIS HABSBURGO-LOTHARINGICÆ.

## CAPUT I.
### *De origine Auguſtiſſimæ Gentis Habsburgo-Lotharingicæ.*

### §. I.
*Variæ de primis Auguſtiſſimæ Gentis initiis opiniones.*

De origine Auguſtiſſimæ Gentis Habsburgo-Auſtriacæ (unde quam plures Imperatores, Reges, Principes, atque Heroes promanarunt) multum hactenus, & acriter inter Eruditos diſputatum eſt. Viginti opiniones diverſas hocce in argumento a variis Scriptoribus excogitatas, improbo ferme labore congeſſit doctus ſuperioris Sæculi Scriptor Joannes Ludovicus Schönlebenius in Diſſertatione Polemica de prima origine Augu-

 ſtiſſi-

ſtiſſimæ Domus Habsburgo-Auſtriacæ, Labaci edita anno 1680. Remotior opinio, ſeu ſententia familiari ſuperſtitione Habsburgicorum Stemma derivavit ab Oſiride Ægyptio, quem Poetæ fabulantur fuiſſe Jovis filium ex Niobe. JOANNES STABIUS ut aſſentatione Maximiliani I. Imperatoris gratiam aucuparetur, a Noë & Chamo ejus filio Habsburgicorum Genealogiam auſpicatus eſt; quod figmentum in ipſis adhuc incunabulis eliſum fuit ab eodem Maximiliano, dum intellecta STABII ſententia in ejuſcemodi verba prorupiſſe fertur: *Tu me ab arca Noe deducis, & ſtemmatis, originiſque meæ Autorem tribuis Cham - - - - quaſi ex radice non bona poſſit produci ſtirps bona, & fertilis: cum tamen mala arbor nunquam bonum producat fructum.* ALBERTUS BARO DE BONSTETTEN Einſidlenſis in Helvetia Decanus exorſus eſt a Scipionibus Romanis, & ab his progenitos Habsburgi Comites docuit in Libello de majoribus Maximiliani I. cujus tempore vixit: ſimili ratione alii a Fabiis Romanis Habsburgicorum ortus deducere conati ſunt. GASPAR SCIOPPIUS Auguſtam Gentem ab Antenore Trojano Cimmeriorum ad oſtia Danubii Rege auſpicatur. CORNELIUS VITIGNANUS, & DIDACUS LEQUILE non ſolum ad Romulum, & Remum, ſed ad Æneam ipſum Habsburgicorum Majores perduxerunt: cui ſententiæ patrocinari etiam videntur illi Genealogiſtæ, qui ſpectatiſſimos hoſce Heroes a Romanis Pierleonibus ſeu Frangipanis (eadem quippe, aſt pridem jam extincta ſtirps eſt) deducere voluerunt. Nec defuere, qui inclytæ Proſapiæ originem excutere cupientes, ad Guntherum vetuſtiſſimum Francorum Regem pervenerunt. BELLEFORESTIUS autem memoriæ conſignavit, a quibuſdam innominatis Authoribus deductos fuiſſe Habsburgicos a Griphone filio, vel fratre Pipini Brevis Regis Francorum; quam ſententiam hauſiſſe videtur ex LAZIO, qui forte ſuomet ingenio divinando illam inſinuaverit. JOANNES TRITHEMIUS Abbas Sponheimenſis, JACOBUS MENLIUS, ſupra laudatus STABIUS, paulo ante memoratus LAZIUS cum ingenti aſſeclarum caterva ad antiquos Francorum Reges, & quidem Merovingicos reſpiciunt; ſed dum primum authorem Gentis Habsburgicæ aſſignare nituntur, in varias abeunt opiniones, quas lector ſingillatim deſcriptas inveniet apud SCHÖNLEBENIUM. JOANNES AVENTINUS ab Hugoberto Duce Transjurano (cujus RHEGINO meminit ad annum 859.) Habsburgo-Auſtriacæ Gentis primordia derivare conatur. Contra MARCUS HENNING ad ENTZELIUM, ſeu EINZELDIUM provocans, nova, & a nullo alio trita via Habsburgicos natales repetit a Comitibus Mersburgicis. JOANNES JACOBUS vero FUGGERUS, ſive illius Editor SIGISMUNDUS BIRCKENIUS, ceu veroſimilem proponit ſententiam, quam nonnulli olim jam tradidiſſe feruntur, exiſtimantes Habsburgicos Monarchas prognatos eſſe ex antiquis Bavariæ Ducibus, & Marchionibus Antverpienſibus. FRANCISCUS GUILLIMANNUS (qui nihil ex

vano

vano hauſtum ſeſe adferre profitetur) Auſtriacorum Progenitores a vetuſtis Comitibus ſeu Præfectis Vindoniſſæ Helvetiorum derivandos contendit. Alii a Comitibus Thierſteiniis; alii a Comitibus Altenburgicis; rurſus alii ab antiquis Regibus Gothis, & Burgundionibus; alii tandem a Carolo Magno Imperatore Auguſto Francorum & Longobardorum Rege glorioſiſſimo Habsburgicorum originem deducendam arbitrantur.

## §. II.

*Cl. Schönlebenii Opinio examinatur.*

In tanta opinionum diſparitate Schönlebenius pro linea maſculina aſcendenti deductionem approbare videtur a Merovingicis Francorum Regibus petitam, *ceu communiſſimam*, *&* (ut ipſe loquitur) *præ cæteris probabilem*: a Carolo autem Magno per fœmineum ſexum Auguſtiſſimos Principes noſtros deſcendiſſe, tanquam rem certam, & indubitatam pluribus argumentationibus demonſtrat. Ego etſi eruditioni ac diligentiæ viri clariſſimi, & de Auguſta Domo Habsburgo - Auſtriaca optime meriti plurimum tribuendum eſſe non ignorem; nihilominus tamen, ut opinor, de felicitate, & ſplendore Familiæ Auſtriacæ conclamatum non erit, niſi ipſos Merovingicos, aut antiquiſſimos quoſque Francorum Reges habeat Majores. Quare ratam habens Schönlebenii ſententiam, quod ſcilicet a Carolingis fœminina ſerie oriantur Habsburgici; propoſitam a Franco - Germanis antiquis Regibus deductionem maſculinam, quam ille *ſequacium multitudine & authoritate, judicio amplectentium & argumentorum* (productorum) *probabilitate* cunctis aliis præferendam cenſet, ego tanquam minime firmatam, ſed arbitrarie excogitatam inter Artemidori nugaces ſomniorum interpretationes relegabo. Schönlebenium ipſum Proleg. Part. I. Cap. XXI. §. unic. num. IX. loquentem accipe: *Nona* opinio *celeberrima eſt, & ſequacium multitudine, & authoritate, & judicio amplectentium, & argumentorum probabilitate, ſi abſtrahas a determinato ſtirpis authore, & in eo ſiſtas, quod a Francorum Germanorum antiquis Regibus origo repetenda ſit Habsburgicæ Domus. Difficultas unica eſt, ut oſtendatur, a quo determinate ortum habeat, quæ cum hactenus ex antiquis documentis complanari non potuerit, in varias abierunt conjecturas Authores; nulla vero conjectura ſine difficultate. Plerique Sigebertum Theodoberto Rege ortum pro Conditore aſſignant; ſed hunc Sigebertum ex nullo antiquo Scriptore poſſunt oſtendere. Verum eſt ab antiquis Francorum Hiſtoricis multos ex Merovingis, & Carolingis prætermiſſos eſſe, quia indies eruuntur nova nomina harum Familiarum; ſed nullus adhuc in lucem prodiit Sigebertus. Cæterum tantus conſenſus ſcriptorum, quod a Regibus Franco - Germanis oriantur Habsburgici (licet diverſi diverſos Reges reſpiciant) quorum forte aliqui Sigebertum in antiquis ſcripturis, quæ*

*non amplius extant*, *invenerint*, *omnino probabilem*, *&* *cæteris pleriſque probabiliorem efficiunt nonam opinionem*, *ad quam plures aliæ enumeratæ reducuntur.* Si vana te capiunt, ejuſcemodi præceptis imbutos Genealogiſtas conſule, qui ad deperdita, & non amplius extantia, aut ad nunquam eruenda monumenta provocantes, adferent tibi tota plauſtra mendaciorum, ac conjecturarum integros modios apportabunt, ut ætatem Familiarum illuſtrium in barbara extendant ſæcula, & ultra omnem hiſtoriarum memoriam provecti palpum obtrudant Mæcenatibus ſuis, eoſdem a neſcio quibus vetuſtiſſimis Regibus derivando. Nos interim ad ſolidiora inveſtiganda tranſeamus.

## §. III.

*Proponitur ſententia quæ ab Ethicone I. Alemanniæ Duce* AUGUSTAM *Stirpem Habsburgo - Lotharingicam derivat.*

Præter hactenus propoſitas de Auguſtæ Domus origine ſententias unica adhuc ſupereſt, deducens Auſtriacos ab Attico, ſeu Ethicone Alemanniæ Duce, quam ſæpius laudatus SCHÖNLEBENIUS in libro ſuperius citato Proleg. Part. I. Cap. XVI. §. I. ſequentibus expoſuit. „ Primum hujus opinionis authorem fuiſſe „ GEBUILHERUM nonnulli arbitrantur, ſed hic in ſua Epitome Ferdinando I. Cæ- „ ſari dicata opinionem communem TRITHEMII amplexus eſt: WOLFGANGUS „ LAZIUS, & poſt eum GUILLIMANNUS, LEQUILE, & alii eam inſinuarunt: „ noviſſime BUCELLINUS cantata polinodia, & exploſa Pierleoniſtarum fictione, „ argumentis firmare aggreſſus eſt. Subſtantiam ejus GUILLIMANNUS exprimit „ his verbis: *Non deſunt*, *qui ab Attico Leudeſii Palatii ſub Theodorico Præfecti filio*, „ *Erckembaldi nepote ſcaturiginem Habsburgenſium derivant. Atticum enim Palatii Præ-* „ *fectum ab Hilperico*, *aut ejus fratre Theodorico Alemanniæ accepiſſe Ducatum cum El-* „ *ſatia. Inde porro Elſatiæ Landgravios*, *quo titulo*, *&* *regione Habsburgii potiuntur.* „ *Attico enim natos præter D. Ottiliam*, *Hugonem*, *Hettonem*, *Battaconem*, *&* *Adel-* „ *bertum. Adelberto Mazonem*, *Eberhardum*, *Luitfridum. Luitfrido nuptui datam* „ *Hiltrudem unicam filiam Ottoberti Habsburgienſis in Romarico monte*, *ex qua cum pro-* „ *lem non tuliſſet*, *adoptaverit patrueles Ottobertum (a quo Habsburgenſium deinceps ſucceſ-* „ *ſio) Hugobertum*, *Theodibaldum*, *&* *Eberhardum.* Paulo aliter LAZIUS, & diſtinctius exprimens circumſtantias: *Atticus vel Ethico cognomine Adelricus*, *filius Leu-* „ *terici (quem alii Leodiſium vocant) majoris Domus Franciæ apud Clodoveum ſecun-* „ *dum*, *&* *Dagobertum Reges*, *ex Berſuynde S. Sigiſmundi Regis Burgundiæ nepte*, *&* „ *Divi Leodigarii Epiſcopi ſorore germana*: *cum diu officio Majoris Domus in Francia*, „ *paternis veſtigiis inſiſtens*, *præfuiſſet apud Chilpericum Regem*, *ab eodem circa annum*

„ *Domi-*

„ *Domini 666. in ea parte Auſtraſiæ, quæ, Romanorum in Republica tractus, ſive*
„ *comitatus Argentoratenſis nominabatur, Dux creatus, addito cognomine Alemanniæ, &*
„ *Suevorum, &c. Adalbertus Attici Ducis filius, S. Ottiliæ, Hettonis Comitis Briſgo-*
„ *vienſis, Hugonis Comitis Alſatiæ, atque Battaconis Comitis Willerthallenſis ac Ergo-*
„ *viæ germanus frater, in Ducatu patri ſucceſſit &c. Progenuit vero is tres filios*
„ *Eberhardum Ducem & ſucceſſorem in Ducatu Alemanniæ, Maſonem Comitem,*
„ *quem alii Regem vocant, & Luitfridum Comitem, &c. Albericus (* Hettonis
„ filius) *quatuor filios genuerat, Ottbertum, Hugobertum, Eberhardum & Theobal-*
„ *dum Comites, quos Luitfridus Adelberti Ducis filiorum tertius adoptavit: Unde*
„ *quidem Habsburgenſium Stemma deducere conantur &c.* & rurſus idem Lazius:
„ *Luitfridus tertius Adelberti Ducis filius, & Attici nepos, cum ex Hiltrude Comitiſſa*
„ *Habsburgienſi a Romerſperg, & Altberg nullam prolem haberet, adoptavit patrueles*
„ *ſuos Hugobertum, Ottbertum, Eberhardum, & Theobaldum filios Alberici Comi-*
„ *tis &c. Hos ditione Alſatiæ Carolus Martellus Major Domus Franciæ, Pipini Re-*
„ *gis Pater, privavit. Unde in anguſtias redacti Comitatuum, alius ſe appellaverat Co-*
„ *mitem ab Altberg, ſecundus a Romerſperg, tertius ab Avendo Caſtro. Sunt enim qui*
„ *has ditiones putent eos hæreditario accepiſſe a Luitfrido patre, qui poſtremi Comitis*
„ *Avendi Caſtri, hoc eſt Habesburg a Sigeberto Rege Auſtraſiæ deſcendentis filiam Hiltrudem*
„ *una cum ſupra nominatis Caſtris in conjugium acceperat. Quodſi verum eſt, Co-*
„ *mites Habsburgenſes, qui poſtea Ergoviam obtinuerunt, & Briſgoviam, Alſatiamque re-*
„ *cuperaverunt, &c. ab hoc Luitfrido Attici Ducis Alemannorum in Edelſaſſia nepote, ge-*
„ *nus ac primordia repetant neceſſum eſt &c.* “ Hæc Lazius: ex quibus ſatis intelligitur opinionis ſubſtantia, cujus etiam Schema juxta poſteriorem deſignationem Bucellini apponere libet. Ita ergo ipſe Tomo II. paulo copioſius quam priore.

*Agilolphingici Generis fragmentum Genealogicum.*

Egga ſive Eganus Major Domus Regiæ a Dagoberto Rege inſtitutus ſub annum Chriſti 640. Uxor Gerberga Richimeris Principis, & S. Gertrudis Hamaticenſis Fundatricis filia.

| | | |
|---|---|---|
| Adalbaldus Dux. Uxor S. Rictrudis Ernoldi Tholoſæ Com. filia. | Erchinoaldus Major Domus Regiæ ab Ebroino occiſus. Uxor Leudeſindes. | Sigefridus, aliis Sigebertus Princeps. |
| S. Maurontus Abbas cum SS. Sororibus Clotſende, Euſebia, & Adalſende VV. | Leudiſius Major Domus Regiæ ab Ebroino occiſus. Uxor N. ex ſanguine S. Sigiſmundi Burgund. Regis. | |

Ethico ſive Atticus, cognomento Adelricus a Childerico Rege Dux Alemanniæ, & Alſatiæ conſtitutus anno 670. Uxor Bereſvindes, Soror Bilhildis Reginæ.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| S. Ottilia V. Abbatiſſa, & Rodeſinda ejus ſoror Monialis. | Adelbertus ſive Albericus Dux Alemann. & Alſat. Uxor I. Gerlindes. II. Bathildis. | Etho Comes Briſiacæ. Fundator Ethenheimenſis. | Hugo Com. Inf. Alſatiæ. Uxor Irmentrudis ſoror S Remigii. | Battaco Comes Ergoviæ. |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Eberhardus Dux Alemanniæ & Alſat. Fundator Murbacenſis Anno 724. Uxor Falconara. | Luitfridus Dux Alem. & Alſat. Uxor Hiltrudis Comitiſſa, & hæres Habsburgi, ſine liberis. | Maſſo Regulus Alſatiæ Fundator Cœnobii Maſmünſter cum Sororibus. | Albericus Dux, & Comes Leberthallenſis Uxor N. | Ettho Epiſcopus Argentinenſis. |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Warinus Dux Major Domus Carolomanni Regis. Uxor e Ducibus Sueviæ | Theobaldus Comes prim. Pfyretarum. | Ottopertus a Luitfrido, & Hiltrude de Habsb. adoptatus reſtaurator S. Trudperti. Ux. Leutgardis. | Eberhardus Monaſticem profeſſus in Luders, & Hugopert. Dynaſta Briſiacæ. |

Luitfridus Comes Habsburgi, pater Luitfridi II, & Hundfridi. Uxor N. — Hu o Comes Briſiacæ, & Neomagenſis.

His præmiſſis Schönlebenius recenſet §. II. probationes adductas a Bucellino in favorem hujus ſententiæ, quas etſi mox §. III. inconcludentes cenſeat; nihilominus tamen Capite XXI. candide fatetur, Bucellini deductionem *ſplendidam eſſe & probabilem, at nondum ſatis probatam, & auctorum aſſenſu firmatam.* In quo quidem judicio minime labitur; nam genealogicum paulo ante productum Fragmentum pluribus ſcatet erroribus, ubi nec primi gradus conveniunt, nec poſtremi: confuſe ac perperam pleraque collocantur.

## §. IV.

*Sententia eadem a mendis repurgata explicatur.*

Eandem ſententiam magno utrinque apparatu propugnandam ſuſceperunt Hieronymus Vignierius, & David Blondellus, quorum præcipuus ſcopus erat genuinis monumentis, & ſolidis probationibus ad liquidum perducere, Auſtriacos Monarchas a Comitibus Habsburgicis maſculina ſerie deſcendiſſe, non fœminina duntaxat; ſicuti nonnulli perhibuerunt, paternum eorum genus ad Comites Thierſteinios referentes, ſeducti Genealogia vitioſa, Originibus Murenſis in Helve-

Helvetia Monaſterii præmiſſa, cujus in Deſcriptione Itineris Germanici ſequentibus meminit Jo. MABILLONIUS pag. 23. *Ex ejus Cœnobii monumentis anno 1618. vulgatæ ſunt* ORIGINES MURENSIS MONASTERII *cum Genealogia Principum fundatorum: & anno 1651. prodiit vera* ORIGO ET GENEALOGIA COMITUM HABSBURGENSIUM, *auctore Dominico, erudito iſtius loci Abbate, contra recentium Auctorum fabulas. Priorem Libellum tanti fecit eximius Peireskius, ut magna contentione repetitiſque ad Vicum Regis in has partes Legatum litteris obtinuerit authentica forma Actorum exemplum, quod poſſet inferri in Chartophylacium Regium. Adeo verebatur, inquit* GASSENDUS, *ne autographo ſiniſtri quidpiam contingeret. Quin etiam, re jam in tuto collocata, procuravit ſollicite iteratam editionem tum Actorum omnium, tum maxime ejus Genealogiæ, quam ne una quidem Syllaba addita, vel demta, redegit in perſpicuum Schema.* Subjungens inſuper idem MABILLONIUS: *Plura videſis apud eundem* GASSENDUM *de iſtorum Actorum utilitate ad refellendum* VERNERI, GUILLIMANNI, & PIESPORDII *commentum de Stemmate Domus Auſtriacæ; probandumque, Principes Auſtriacos ſerie dumtaxat fœminea, non virili, ut illi fingunt, ad Habsburgicam Familiam, maſcula vero ad Tierſteinicam pertinere.* Hæc obiter interim meminiſſe ſufficiat; nos unde digreſſi ſumus iterum ad VIGNIERIUM, & BLONDELLUM revertamur, qui oſtenſo, immo vero etiam confutato GASSENDI errore, Habsburgicorum porro originem ad priſcos Alſatiæ Duces retulerunt, quos Archinoaldo ſive Erchenbaldo ſatos contendebant. *Is* (ut inquit IMHOFIUS Vignierii, & Blondelli ſectator religioſiſſimus) *Major domus, ſive Magiſter Palatii Regis Francorum Clodovei II. fuit, eaque in dignitate Ægano, ſive Æga, patri ſuo, anno 640. mortuo, ſucceſſit; cujus uxor & mater Erchenbaldi, Geberta, filia fuit Sanctæ Gertrudis, ſanguini Regio cognatæ. Fratres illi tribuuntur Adalbaldus Dux Duaci, & Sigifridus Comes Pontivenſis, quorum priori Rictrudis, alteri Bertha, utraque in cœtum Sanctarum relatæ, nuptæ fuerunt. Erchenbaldo, circa annum 659. mortuo, natus eſt Leudeſius, ſive Leutherius, quem a Francis poſt R. Childerici II. cædem Majorem domus anno 673. electum fuiſſe Fredegarius* (corrige CONTINUATOR FREDEGARII Cap. XCV., cui etiam conſentiunt ANONYMI Geſta Regum Francorum Cap. XLV.) *memoriæ mandavit. Acceperat ille Uxorem de Proſapia Sancti Sigismundi Regis Burgundiæ, genuitque ex ea Athicum, ſeu Adalricum, qui patre adhuc ſuperſtite, & Childerico II. regnante uxorem duxit Berſcindam nomine, filiam ſororis Sancti Laodegarii, ſororem videlicet Reginæ Bilihildis. Ob hanc cauſſam conſanguinitatis a præfato Rege Ducatum Germaniæ (ſive Alemanniæ, Alſatiam, Sueviam, & ſuperiorem Germaniam complectentem) adeptus eſt, habuitque ſedem in villa Regia Ebenheim, & in caſtro, quod Hohemburg nominatur. Liberi ſex eidem tribuuntur; e ſexu infirmiore Odilia, & Roſwinda, Sanctis poſt fata adſcriptæ: filiorum nomina hæc ſunt: Athicus II., Adalbertus, Hugo, & Bataco. a quibus ſingulis propago relicta*

*relicta eſt, ſed a tribus poſterioribus parum diuturna. Expiravit* (Athicus I) *anno 693.* Hactenus omnia conformia ſunt VIGNIERIO; quæ ſequuntur, tantiſper ab eo diſcrepant, & magis ad BLONDELLI mentem accedunt: *Adalberto patri* (continuat IMHOFIUS) *in ducatu ſubrogato, Athicus II. qui natu maximus erat, ejuſque poſteri intra Comitum dignationem ſubſtiterunt. Factus is eſt pater Ettonis Epiſcopi Argentinenſis anno 734., nec non Alberici, quo natus eſt Eberardus I. ſpoliator Cœnobiorum, ſed ad extremum vitam monaſticam, Odiliæ proamitæ hortatu, amplexus. Filius ejus Eberardus II. fuit, quem ultra annum 870. vitam produxiſſe, Lutrenſe Monaſterium ſui juris feciſſe, atque a Vignierio cum patre homonymo confundi, Blondellus refert. Hoc ſatus eſt Hugo genitor ex Hildegardi uxore ſua trium filiorum, videlicet Eberardi III., Hugonis, & Guntramni, a quibus tres Familiæ, Lotharingica, Dagsburgica, & Habsburgica defluxerunt.* Hæc IMHOFIUS, ut plurimum BLONDELLUM ſecutus, quæ nullo pacto conciliari poſſunt cum ſupra producto BUCELLINIANO Fragmento Genealogico; etſi ambo reapſe conveniant in arceſſenda tam Habsburgicæ, quam Lotharingicæ Familiarum origine ab Ethicone I. Duce Alemanniæ, quem nos quoque, rationibus & authoritatibus inferius indicandis permoti, verum utriuſque Auguſtiſſimæ Stirpis Progenitorem fuiſſe arbitramur.

## §. V.

*Sententia eadem Scriptorum auctoritate firmatur.*

Minime me hic morabitur quæſtio: utrum Ethico ſive Atticus iſte Alemannorum Dux Leudeſii Majoris Domus, ſeu Palatii Regii ſub Theodorico Præfecti filius fuerit? an vero Leutharium patrem habuerit, qui Alemanniæ Dux fuiſſe perhibetur, & anno 642. Ottonem Majorem Domus interfeciſſe? ſufficit ad rem meam ex vetuſtis eorum temporum monumentis perſpectum habere: Ethiconem quendam ineunte Sæculo VII. Ducem Alemanniæ (quæ dignitas proxima poſt Regiam erat) extitiſſe, & numeroſam utriuſque ſexus, ex Bereſuinda Burgundica Conjuge ſua, ſobolem procreaſſe: unde poſtmodum ex illius progenie, præter innumeros propemodum Reges, Archiduces, Duces, Principes, Landgravios, Marchiones, Comites, & Majorum Gentium Dynaſtas, ſeptendecim Cæſares Habsburgo-Auſtriaci, & duo Habsburgo-Lotharingici Imperatores promanarunt. Solidiſſima argumenta, quibus ſententia iſta (paſſim nunc recepta) innititur, Lectori ſubminiſtrabit Doctiſſimus JOANNES GEORGIUS ECCARDUS in Libro Lipſiæ edito anno 1721. cum titulo: *Origines Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Familiæ Habsburgo-Auſtriacæ*, ubi ex Actis Monaſterii Murenſis a Rudolfo Imperatore ad Guntramnum uſque Divitem omnia expedita eſſe demonſtrat; a Guntram-

mo

no autem altius aſcendens in ſubſidium vocaſſe monet Vitam S. Deicoli, & Chartas veteres diverſas, præcipue Einſidelenſes, Grandivallenſes, Pultarienſes, & Vezeliacenſes, nec non monumenta latentia in Archiviis Murbacenſi, & Hohenaugienſi, ac vitas S. Odiliæ variis exemplaribus contentas, quorum documentorum graviſſima authoritate, ac fide ſubnixus Auguſtiſſimæ Gentis Genealogiam ad ipſum perducit Ethiconem I. Alemannorum Ducem, docte fundateque ſingula pertentando, maximamque partem comprobando. Neque ex alio fonte Genealogicas ſuas deductiones auſpicati ſunt viri clariſſimi, & de Litteraria Republica optime meriti: Bernardus Pezius, Joannes Georgius Riefferus, Joannes Petrus Ludewigius, ſeu qui ejus Germaniam Principem continuavit D. H. Finsterwaldius, &, ut reliquos ſilentio prætermeam, unus omnes cunctorum poſt ipſum Eccardum laudes indefeſſa induſtria ſua promeritus R. P. Marquardus Hergott, a quibus unanimi voce concluſum fuit, Habsburgicam æque ac Lotharingicam Proſapiam nuſquam melius, quam a poſteris ſæpe memorati Ethiconis I. Ducis Alemannorum derivari. Hæc communis eſt hodie Eruditorum ſententia, quam tuentur Germani, amplectuntur exteri, promovent fideles Auſtriacorum Subditi; pro qua militat ratio, loquuntur ipſæ Habsburgicorum Comitum, & Lotharingiæ Ducum antiquæ Ditiones olim Ethiconi propriæ; firmant infinita propemodum documenta, a vigilantibus viris ab interitu vindicata; cui ætatum ſingularum coævi Scriptores aſſenſum præbuiſſe videntur; quæ probabilitate omnes hactenus ventilatas ſuperat, & adeo comprobata eſt per idonea inſtrumenta, ex intimis Tabulariorum receſſibus in hunc finem producta, ut inter grandævas Familias vix alteram ſimilibus præſidiis munitam inveniamus. Jactent igitur alii ſuum genus ab Oſiride Ægyptio, ab Antenore Trojano, ab Ænea, a Fabiis, a Scipionibus, a Pierleonibus &c. Habsburgica Domus in unum cum Lotharingica Proſapia ſtipitem conſpirans ſimilibus non indiget impoſturis. Proprio ſuo ſplendore illuſtris, propria nobilitate a tam glorioſis natalibus celebris, antiquitate, opibus, ac dignitatibus nulli ſecunda contemnit, quidquid Scriptores olim elegantiam duntaxat ſtyli ſectantes, & rerum adhuc ignari, nullo teſtium examine præmiſſo, nulla aut exigua temporis, aliarumque circumſtantiarum habita ratione, audacter admodum atque impudenter in ejuſcemodi argumento produxerunt. Recte hinc Spiegelius in not. ad Güntheri Ligurin. pag. 17. *Nec nos movere debet quorundam ſtultitia* (Habsburgicæ Domus) *originem ad Romanos referentium; qui, ſi ſcirent, nullam in Italia nobilitatem eſſe, quam non Germani eo advexerint, non haurirent aquam e rivulis, ipſo fonte contemto. Ridiculum ſane, quod* Volaterranus *Divi Maximiliani Auguſti progenitores ait fuiſſe quoſdam neſcio Perleones Romanos, quum pura puta ſit e Francorum* (& Alemannorum) *ſanguine Principibus Auſtriæ* (Lotharingiæ) *Burgundiæ, Brabantiæ, Hollandiæque origo.* Sed aliis oculis haſ-

ce delirantium Eruditorum fraudes intuebantur nonnulli antiqui Cæſares, debita criſi deſtituti, qui commentitias Genealogias, tanquam oraculo proditas, pro veris amplexi ſunt: quemadmodum Carolum V. feciſſe ſcribit Ludewigius, quem ait non ſolum in Italia Majores ſuos Pierleones quæſiviſſe; ſed etiam inventos Romæ quoſdam iſtius cognominis Patricios ut Cognatos ſuos ſalutaſſe. Sed eandem hiſtoriolam alii, teſte eodem quoque Ludewigio, narrant de Brandeburgicis Electoribus, qui Conſanguineos Romæ compellaverint Columnenſes; qua variatione ſuſpectam profecto reddit narrationem. Unde tamen (etiamſi res ita revera ſe habuerit) nil aliud concludi poſſet, quam quod interdum Principes aliquid probant prout illis narratur; neque propterea ab eorum credulitate, aut partium ſtudio hiſtoricas, vel genealogicas liceat metiri veritates.

# CAPUT II.

*Continet Ethiconis Alemanniæ Ducis Poſteros: nominatim vero ſeriem genealogicam Stirpis Lotharingicæ ad noſtra uſque tempora continuatam.*

## §. I.

*Prævia deductio Genealogica Stirpis Habsburgo-Lotharingicæ inde ab* Ethicone I. *Alemanniæ Duce, uſque ad* Eberhardum IV. *Alſatiæ Comitem; Lotharingorum, &* Guntramum *divitem; Habsburgicorum Principum progenitores.*

Ex Ethiconis igitur Alemanniæ Ducis Generoſa Stirpe indubitatam ducunt originem Habsburgici non minus, quam Lotharingici Principes. Geminæ hæ unius olim domus lineæ, poſtquam ab ſe invicem diviſæ, plurium ſeculorum intervallo ſeorſim floruiſſent, mira ſane viciſſitudine in glorioſe hodie regnante Josepho II. Romanorum Imperatore Augusto poſtliminio coaluere; in quem tot utrobique Heroum ſanguis nobiliſſimus feliciſſime transfuſus, ſpem orbi indubitatam facit, & paris gloriæ, & poſteritatis ampliſſimæ. Quæ autem uſque ad auſpicatiſſimam hanc conjunctionem utriuſque interea familiæ fata fuerint? quibus utraque præfuerit populis? per quos propagata ſit gradus? res ipſa nos admonet, ut inter texendum genealogiam ſuccincta narratione explicemus. Jam rem ipſam aggrediamur. Ethiconi I. Alemanniæ Duci ex Berſwinda Burgunda quinque fuere proles: Ethico id nominis II., Adalbertus, Anonymus a Patre occiſus, Hugo, ac denique S. Odilia Hohenburgi in Alſatia Deo devo-

tarum

tarum Virginum Abbatiſſa. De Adalberti, quem nonnulli Habsburgicæ familiæ ſatorem faciunt, (*a*) poſteris nil hic attinet dicere. Porro Ethico II. Alemanniæ Dux in lucem edidit Albericum, ſeu Begonem I. Alſatiæ comitem, nec non Ettonem, ſive Ettichonem Epiſcopum Argentinenſem, qui A. 765. obiit. Ex Alberico ſeu Begone I. natus fuit Eberhardus I. Alſatiæ Comes, qui ad A. 780. floruit, genuitque Albericum, ſeu Begonem II. An. 816. mortuum. Hujus filius Eberhardus II. vixit A. 864., relicto cognomine filio Eberhardo III. Alſatiæ comite. Hic ex Adelinde incertæ familiæ conjuge præter Adelhaidem Ludovico III. Francorum Regi nuptam, geminos ſuſcepit filios: Vulſhardum Abbatem Flaviniacenſem Franciæ occidentalis Archi-Cancellarium: & Hugonem I. Alſatiæ, atque Metarum Comitem. Atque hic eſt celeberrimus ille Hugo I., qui coævis monumentis teſtantibus, (*b*) nemineque e ſcriptoribus refragante Hildegardem nomine conjugem habuit, trium filiorum Matrem fauſtiſſimam, puta: Eberhardi IV. Hugonis II. & Guntrami: a quibus totidem illuſtribus ſane familiis initium datum fuit. Ex Filiorum poſtremo Guntramo, quem *divitem* dixere, (*c*) Auguſtam Habsburgo-Auſtriacam domum paulo inferius deducturi ſumus. Hugonis II. poſteritas in Brunone Tullenſi Epiſcopo poſtea ad Catholicæ Eccleſiæ Pontificatum ſub nomine Leonis IX. aſſumpto, penitus A. 1055. defecit. Itaque de Eberhardi IV. qui Lotharingiæ Ducum tot ſeculis florentium feliciſſimus Pater fuit, poſteris inſtituta brevitate hic loci acturi ſumus.



(*a*) Doctiſſimus Marquardus Hergott ex Ordine D. Benedicti congreg. S. Blaſii multis in medium adductis argumentis, probare nititur, ex Adalberto Ethiconis I. Alemanniæ Ducis filio Habsburgicos Principes deduci oportere. Ejus probationes Vide Genealog. Diplom. Auguſtæ Gentis Habsb. Tomo I. Lib. II. Capite VIII. IX. & ſeq.

(*b*) Conſule Vitam S. Deicolæ Abb. apud Bollandiſtas ad diem 17. Januarii Cap. VII. & cet.

(*c*) Doctiſſimus Hergott pariter a Guntramo Divite deducit Habsburgicos, at negat Guntramum ſuum eundem fuiſſe cum Guntramo noſtro Hugonis I. Filio: ſuum enim Guntramum Hunfridi Comitis filium ſtatuit. Itaque ejus ſententia ab eodem quidem communi ſtipite, Ethicone I. Alemanniæ Duce Lotharingi æque, ac Habsburgici prognati fuere, diverſa tamen ab ea, quam nos hic propoſuimus, via aliisque longe gradibus propagati, quod ut lector uno intuitu cernere poſſit, utramque ſeriem hic ſubjungere placuit. Sed de hoc nobis Cap. III. §. I. ſermo redibit.

Ethico I. Dux Alemanniæ.

| *Juxta Eccardum & alios* | | *Juxta Hergott.* |
|---|---|---|
| Ethico II. Dux Alemanniæ | | AdalbertusDux Alemanniæ. |
| Albericus, ſeu Bego I. | | Luitfridus II. Dux. Alem. |
| Eberhardus I. Comes. | | Luitfridus III. |
| Albericus ſeu Bego II. | | Luitfridus IV. |
| Eberhardus II. | | Hugo I. |
| Eberhardus III. | | Luitfridus V. |
| Hugo I. Uxor Hildegardis. | | Luitfridus VI. |
| | | Hunfridus Comes. |
| | | Guntramus Dives Comes Sator Habsburgicorum. |
| Eberhardus IV. Sator Lotharingiæ Ducum. | Hugo II. | Guntramus Dives Sator Habsburgicorum. |

## §. II.

*Deductio Genealogica Stirpis Lotharingicæ ab* Eberhardo IV. *Alſatiæ Comite, uſque ad* Carolum I. *Lotharingiæ Ducem.*

Eberhardus IV. Alſatiæ Comes Hugonis I. filius primogenitus conjugio ſibi copulavit Eadivam Anglorum Regis filiam, ſororem Edgitæ Uxoris Ottonis M. Romanorum Impera oris; quæ conjunctio haud dubie cauſa fuerit, quod ſubinde Henricus Auceps Imperator Eberhardum noſtrum propinquum ſuum appellaverit. Ex hoc Matrimonio nati ſunt Eberhardo IV. Adelheis, poſtea Conradi Salici Imperatoris Mater, Gerardus I. Metar, & Adalbertus Alſatiæ comites: ille ſine ſobole deceſſit; Hic autem genuit Gerardum II., qui Pater fuit Gerardi III. Alſatiæ Comitis. Atque huic novos titulos, novasque ditionum acceſſiones grati debent poſteri, ut qui primus omnium e familia ſua Ducis Lotharingiæ ſuperioris, ſeu Moſellanicæ (*d*) honores ab Henrico III. Imperatore A. 1048. acceperit, Clientelæ nomine eapropter Romano Imperio factus obnoxius. Itaque Gerardus III. hujus nominis Alſatiæ Comes, I. Lotharingiæ Dux fuit. Is poſtquam non ſine magnis ſuis moleſtiis recens aquiſitam ditionem in ordinem redegiſſet, vitam poſuit A. 1070. relictis duobus filiis, Theodorico I. & Gerardo IV. Hic diu poſtea florentem Vau-

(*a*) Teſtes hujus inveſtituræ ſunt: Hermanus Contractus ad A. 1048 Sigebertus Gemblacensis & Albericus Monachus trium fontium Diœceſis Leodienſis in ſuis Chronicis ad An. cit.

# GENEALOGIÆ AUGUSTÆ DOMUS HABSBURGO - LOTHARINGICÆ.



| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Hugo I. Comes Alſatiæ.<br>Uxor Hildegardis. | | | | | | |
| Eberhardus IV. Comes Alſatiæ *Pater Ducum Loth.*<br>Uxor Eadiva Angla | Hugo II. *Pater Stirpis Dagsburgicæ.* | Guntramus cognomento Dives Altenburgi & Vindoniſſæ Comes<br>*Pater Comitum de Habsburg. Vide Tab. V.* | | | | |
| Adalbertus Comes Alſ. fundat. Abbatiæ Bouſſonvillenſis † 1034.<br>Juditha † 1034. | Gerardus I. Comes Metarum | Adelhais<br>Maritus Henricus Dux Franconiæ. | | | | |
| Gerardus II. Comes Alſatiæ & Marchio † 1046.<br>Giſela | Albertus C. Alſ. Dux Loth. † 1047. | | | | | |
| Gerardus III. Comes Alſatiæ. I. Dux Lotharingiæ ab Anno 1048. † 1070.<br>Hadevida Comitiſſa Namurci. | | | | | | |
| Theodoricus I. Dux Loth. † 1115. vel potius 1133.<br>Gertrudis Com. Flandriæ. | Itta Lotharinga<br>Radebotho Com. Altenburg.<br>Vindoniſſæ & Habsburg.<br>Vide Tab. V. | Gerardus IV. Lotharingus Com. Validi Montis *Vaudemont*<br>*Comitum Stirpis Cognominis Pater.* | | | | |
| Simon I. Dux. Lothar. † 1138.<br>Adelhais ſoror Lotharii Saxonis Imper. | Theodoricus Com. Flandriæ.<br>*Pater Stirpis Lotharingo-Flandricæ.* | Henricus Epiſcopus Tullenſis. | Gerardus Loth.<br>Com. Egesheim. | Gertrudis<br>Amadeus II. Sabaud. Comes Maurianæ. | | |
| Matthæus I. Dux Lothar. † 1176.<br>Bertha ſoror Friderici Imp. | Balduinus Loth. | Robertus Lotharingus<br>*Pater Stirpis de Floringis* | Agatha<br>Raynaldus Comes Burgundiæ | Vaudierus Dynaſt.<br>Gerbevillenſis | Helvida<br>Fridericus Comes Tullenſis. | |
| Simon II. Dux Lotharingiæ † 1207.<br>Ida Com. Viennæ Allobrogum.<br>*defecit.* | Fridericus I. D. Loth. Dynaſta Bidiſci † 1208.<br>Ludmilla Duciſſa Poloniæ Micislai D. filia. | Juditha<br>Stephanus C. Auſſoniæ | Matthæus Loth. C. Tull. | Alix<br>Hugo C. Burgund. | Theodoricus Loth.<br>Ep. Metenſis. | Sophia<br>Henricus<br>C. de Limburg. |
| Fridericus II. Dux Loth. † 1215.<br>Agnes Duciſſa Barenſis. | Matthæus Loth.<br>Ep. Tull. | Theodoricus Loth. | Philippus Loth.<br>Dynaſta Gerbevill. | Juditha<br>Henricus Com. Salm. | Agatha Abbat. Montis Romarici. | |
| Theobaldus I. Dux Lotharingiæ. † 1220.<br>Gertrudis Com. Dagsburgica.<br>*defecit.* | Matthæus II. Dux Loth. † 1250.<br>Catharina Duciſſa Limburgi.<br>Vide Tab. II. | Jacobus Loth. † 1260.<br>Ep. Metenſis. | Reginaldus Loth. Com. de Caſtro. | | | |

Vaudani montis, *Vaudemont* (*a*) ſeu Valdimontiorum Comitum Stirpem progenuit; Theodoricus vero I. Patri ſuo Gerardo in Lotharingiæ ducatu ſucceſſit. (*b*) Vixit porro An. 1133. poſtquam genuiſſet tres filios: Simonem I. dictum Crassum in Ducatu ſucceſſorem, Theodoricum ad hæc Alſatiæ & Flandriæ, & Gerardum Alſatiæ Comites: a poſtremo hoc originem traxere Comites Egesheimii. Simoni I. Duci Lotharingiæ, qui Anno 1138. obiit, duo fuere filii: minor natu Robertus ampliſſimæ Dynaſtarum de Floringis Florenges familiæ caput fuit; Senior autem Matthæus I. Dux Lotharingiæ ex Bertha Friderici I. Imperatoris ſorore (*c*) ſuſcepit Simonem II. Ducem Loth. & Fridericum hujus nominis inter Lotharingos I. Dynaſtam Bidiſci Bitche (*d*). Succeſſerat quidem ipſo naſcendi jure patri ſuo Matthæo I. A. 1176. defuncto Simon II. Dux Lotharingiæ, at cum nulla relicta ſobole A. 1207. e vivis exceſſiſſet, Lotharingiæ ducatus ad ejus, ex fratre Friderico I. Bidiſci Dynaſta, nepotem Fridericum II. devolutus fuit. Obiit hic A. 1213. relictis ex Agnete Ducis Barenſis filia geminis filiis: Theobaldo I. & Matthæo II. Ille ducta in matrimonium Gertrude Dagsburgica, illius familiæ, quam a Gerardo Vadani montis Comite paulo ſuperius diximus propagatam, hærede ultima, ditionem Lotharingicam nova Dagsburgici Comitatus acceſſione locupletaverat; verum citra maſculam ſobolem e vivis exceſſit A. 1220., Matthæus autem II. fratri in ducatu ſuccedens, Lotharingicam domum feliciter propagavit; ex Catharina enim Ducis Limburgi filia ſuſcepit filium Fridericum III. Ducem Lotharingiæ, cui A. 1250. obiens avitum ducatum reliquit. Fridericus III. Dux Lotharingiæ ex Margaretha Theobaldi Navarræ Regis filia genuit Theobaldum II. Ducem Lotharingiæ, hic vivo adhuc genitore, qui vitam uſque ad A. 1303. adduxit, per conjugem ſuam Iſabellam Rumigniam non contemnenda hæreditate avitas ſuas ditiones auxit, quo autem domum ſuam potentium affinitatum fœderumque nexibus paulo amplius affirmaret, primogenito ſuo Friderico IV. conjugem dedit Alberti I. Romanorum Imperatoris filiam Iſabellam (*e*) vixitque A. 1312. Fridericus IV. Dux Lotharingiæ vitam

C 3 clau-

(*a*) Vaudemont Vadani mons, civitas Lotharingiæ cum Comitatu cognomine.

(*b*) Certum id fit & ex Sigeberto & nominatim ex Alberici verbis: *Prædictus Dux Gerardus de Alſatia cum iſto duce filio ſuo Theodorico habuit etiam alterum filium nomine Gerardum, qui fuit primus Comes Vaudani montis. Iſte Comes Gerardus duxit filiam Comitis de Daburg* ſive Dagsburg Daxburg *neptem S. Leonis Papæ, de qua genuit Comitem Vaudani Montis, Hugonem, & Sororem ejus Gislam, quæ fuit Comitiſſa Barri &c.* ad A. 1070.

(*c*) Alii hanc appellant Juditham, at malui ſequi auctoritatem Alberici, qui ei Berthae nomen tribuit. Notit. Eccleſ. Belgii ad A. 1193. pag. 441.

(*d*) Bitche Bidiſcum, Comitatus Lotharingiæ, cujus caput eſt, Urbs ejuſdem nominis ſita ad radices montium prope fluvium Schvolbe dictum.

(*e*) Patet id ex Alberti Argent. teſtimonio, cujus locum integrum huc exſcribere juvat: *Unam* inquit *filiarum ſuarum Agnetem Andreæ III. Regi Ungariæ copulavit Albertus Imp. quo Andrea ſine liberis*

clauſit A. 1328. relicto filio unico hærede RUDOLPHO Duce Lotharingiæ. Hic prima conjuge Alienore Barenſi ſine liberis defuncta, duxit Mariam Bleſenſem Comitiſſam, quæ mater fuit JOANNIS Ducis Lotharingiæ, Herois, bellica laude incliti, Patris enim, in prælio cum Anglis ad Creciacum in Pontivo A. 1346. glorioſe occumbentis, exemplo animatus, vitam omnem bellicis expeditionibus contrivit. Imprimis Joanni Gallorum Regi adverſus Anglos ſtrenuam diuturnamque navavit operam, tulit deinde ſuppetias Ordinis Teutonici equitibus adverſus infideles, numeroſoque Chriſtianorum exercitui ſupremo cum imperio ea in expeditione præfuit, quo etiam tempore A. 1362. inſignem ad Torunium Pruſſiæ Urbem de infidelibus victoriam reportavit. Inde Domum redux JOANNES eandem belli aleam ſubire neceſſe habuit: neque enim cum vicinis ſolum hoſtibus, longo tempore decertavit; verum etiam, quod multo difficilius; minus tamen glorioſum eſt Principi, multum laboris in rebellibus ſubditis ad officium revocandis collocavit, qua re cum multorum a ſe animos alienaſſet, venenata potio ei a quodam e familiaribus Aulæ, Pariſiis propinata fuit, cujus vi lente viſcera depaſcente, vivere deſiit A. 1390. relictis ex Sophia EBERHARDI IV. Virtembergæ Comitis filia geminis filiis, CAROLO I. Lotharingiæ Duce & FRIDERICO V. Vadani montis Comite: quem titulum, & ditionem huic dotis nomine attulit Margareta Henrici Vadani montis Comitis filia. Atque ex hoc FRIDERICO V. Valdimontio reliqui deinceps omnes Lotharingici Principes propagati ſunt.

## §. III.

### *Deductio Genealogica Stirpis Lotharingicæ a* FRIDERICO V. *Lotharingo Comite Vadani montis, uſque ad* RENATUM II. *Ducem Lotharingiæ.*

Quo ſeries Genealogica Ducum Lotharingiæ atque una implexa aliquantum id temporis hiſtoria clariore in luce ponatur, priuſquam de CAROLO I. Lotharingiæ Duce aliquid dicamus, juvat hic FRIDERICI V. A. 1415. defuncti poſteros recenſere. Itaque ex Margareta Valdimontia conjuge genuit FRIDERICUS V. ANTONIUM Vadani montis Comitem, fraude Patrui ſui CAROLI I. D. Loth. a Duca-

*liberis defuncto, relicta in loco occiſionis Patris, ſcilicet Königsfelden, Vitam cælibem diu duxit. Item aliam filiam nomine Elſam,* ISABELLAM, ELISABETHAM, *dedit Duci Lotharingiæ* FRIDERICO IV. *quæ ex eo Ducem Rudolphum Lotharingiæ procreavit. Tertiam filiam dedit Voldemaro (Hermanno Longo) Marchioni Brandenburgenſi, quo mortuo ipſam dedit Duci in Presla Poloniæ.* His adde Catharinam deſponſam Henrico VII. Rom. Imp. eoque mortuo traditam Carolo Calabriæ duci filio Roberti Regis Siciliæ. Vide Taphographiam Principum Auſtriæ Celſiſſimi S. R. I. Principis Martini Gerberti Abb. S. Blaſii in Silva nigra pag. 126. & ſequ. Nemo hoc felicius Auſtriacorum memoriam ab oblivione vindicavit.

Ducatu excluſum, ut mox narraturi ſumus. ANTONIUS vitam adduxit ad A. 1447. atque ex Maria Haricourtia ſuſcepit filium FRIDERICUM VI. cui ut Jolanta, Patre Renato Andino Lotharingiæ Duce; Matre autem Iſabella CAROLI I. Loth. Ducis filia edita, in matrimonio collocaretur, ut erat magno fortique animo, armorum vi impetravit. Ex hoc FRIDERICI VI. A. 1470. demortui cum Jolanta Andina conjugio natus fuit RENATUS hujus nominis II. Dux Lotharingiæ, ad quem mira Dei providentia avitus Ducatus devolutus eſt, poſtquam inde ab obitu CAROLI I. Lotharingiæ Ducis tres & quadraginta annos Andinæ familiæ paruiſſet. Quemadmodum autem id evenerit, paucis explicabimus. CAROLUS hujus nominis I. qui paſſim II. audit (*a*) Patris ſui JOANNIS Ducis Lotharingiæ Virtutem bellicam imitatus totam pene ætatem in armis exegit. A Teutonicis equitibus in auxilium evocatus, ad Vilnam Lithuaniæ urbem infidelium copias internecione delevit A. 1390. Exauthorato Venceslao inerte, ad imperii dignitatem evectus Rupertus Bavarus Palatinus, huic genero ſuo adverſus tot æmulos ſervatum ſceptrum debuit. Dux Luxemburgicus partes Venceslai inertis ſecutus numeroſis fœderatorum copiis auctus Lotharingiam invaſerat; CAROLUS Dux obviam proceſſit hoſtibus, decretoriamque pugnam iniit ad Nancejum Ducatus Metropolim, eo ſucceſſu; ut diſſipatis hoſtilibus copiis, ipſum belli Imperatorem Luxemburgicum cum compluribus Viris Principibus in poteſtatem redegerit. Gallia civilibus bellis laborante, CAROLUM VI. Regem adverſus domeſticos hoſtes egregie adjuvit. Hæc inter belli ſtudia maxima CAROLUM I. Ducem cura angebat de ſtabilienda filiæ ſuæ Iſabellæ, quam ex Margareta Ruperti Palatini Imp. filia ſuſceperat, ſucceſſione; hanc, quod maſculo carebat, excluſo fratris ſui FRIDERICI V. filio ANTONIO Vadani montis comite, hæredem inſtituere certus, potentem quærebat generum, cui affatim vires ſuppeterent, ad reprimendum, ſi quid ea propter moliri auderet, ANTONIUM. Pluribus procis ac nominatim Angliæ Regis HENRICI V. fratre rejecto, ſuaſu Ludovici Cardinalis Ducis Barenſis, delegit Renatum Andinum Ducem, filium LUDOVICI II. Andini, Regis Jeroſolymorum, Siciliæ, & Arragoniæ, Comitem Provinciæ PROVENCE, Fori Calcarii FORCALQUIER, Barenſis Ducatus per Aviam ſuam Jolantam Barenſem hæredis. Rei privatim concluſæ, quo robur adderet CAROLUS I. Dux, convocatos Lotharingiæ ordines Auctoritate ſua eo adduxit, ut & conjugio, & ſucceſſioni filiæ ſuæ Iſabellæ ſubſcriberent. His ex ſententia A. 1418. geſtis, Iſabella Lotharingica continuo

(*a*) Scriptores pene omnes hunc CAROLUM II. hujus nominis appellant, Lotharingiæ ducem, propterea, quod A. 977. Otto R. Imperator CAROLO I. Regiæ Gallicæ Stirpis Principi Lotharingiam feudi nomine contulerit. At quoniam Carolus iſte alterius Stirpis fuit; neque inde a GERARDO I. ullus hujus nominis & familiæ Lotharingis imperavit, nos CAROLUM noſtrum I. nominabimus.

tinuo Renato Andino tradita fuit; Antonius Vadani montis Comes, etſi Ducatum ad ſe naſcendi jure pertinentem ſibi ereptum acerbe ferret; iras tamen Patrui ſui veritus, nil contra obniti auſus fuit; quoad Carolus I. vixit. Hoc porro A. 1430. ſublato, Renatus Andinus cum conjuge ſua Iſabella ſolennem Nancei ingreſſum habuit, acceptoque ab ordinibus fidei ſacramento, continuo Ducatus poſſeſſionem adiit. Antonius Vadani montis Comes pariter tempore uſurus, ſine mora ad Nanceium ſe contulit, ſperans præſentia ſua id effectum iri, ut Lotharingi deſertis Iſabellæ partibus, ſuas illico amplecterentur; at ſpe ſua deluſus fuit: ſentiens itaque, ubi de ditionum juribus in poteſtatem vindicandis agitur, ſolam æquitatem cauſæ armis deſtitutam nihil effecturam, hæc ſibi in cauſæ patrocinium ſubſidia colligenda putavit. Faventes ea in re Vicinos habuit. Philippus Dux Burgundiæ, Sabaudus, pluresque alii ſuas liberaliter addixere copias. Exiguo temporis ſpatio juſto ſe exercitu circumdatum videns Antonius Vadani montis Comes recta in Lotharingiam movet, commiſſoque prælio, non modo victoria potitur, verum etiam æmulum ipſum Renatum Andinum capit. Hac fortuna prædaque lætus Antonius nil dubitabat, mox univerſam Lotharingiam ſub jugum victoris ituram; verum eos ipſos, quos ante in bello gerendo amicos, ſocioſque nactus fuit, in recuperando ducatu Adverſarios experiri debuit. Philippus Burgundus, cui Renatum Andinum Divione cuſtodiendum dederat Antonius, arbitrium cauſæ ad ſe primum attraxit, tum vero Sigismundo Cæſari, Concilioque Baſileenſi, rem cognoſcendam detulit. Utrobique in Iſabellæ Caroli I. Loth. Ducis filiæ favorem deciſum fuit. Itaque ne ſpem omnem recuperandæ hæreditatis amitteret Antonius, id unum a Renato Andino captivo licet impetravit, ut hujus, ex Iſabella conjuge, filia Jolanta ſuo ex Maria Haricourtia filio primogenito Friderico VI. in manus conveniret, ea lege, ut virili Stirpe Renati Andini extincta, Lotharingiæ ducatus hæreditario jure ad hujus conjugii poſteros devolveretur. Quod cum caviſſet Renatus Andinus, e cuſtodia dimiſſus fuit. Et vero Antonii Vadani montis Comitis vota non multo poſt expleta fuere: Renatus Andinus e captivitate liber, reliquam vitam, quam ad A. 1480. adduxit, in Provincia exegit, relicto Lotharingiæ Ducatu Joanni primogenito. Hic non diu rerum potitus, Nicolaum ex Maria Bourbonia filium ſucceſſorem habuit; verum & hic in ipſo nuptiarum cum Maria Burgunda, quæ poſtea Maximiliano I. Imp. nupſerat, procinctu, e vivis exceſſit, Avoque Renato Andino nil diſſentiente Lotharingiam, Renato II. Friderici VI. Vadani montis Comitis filio moderandam reliquit.

§. IV.

## §. IV.

*Deductio Genealogica Stirpis Lotharingicæ a* Renato II. *Lotharingiæ & Bari Duce uſque ad* Franciscum I. *Lotharingiæ & Bari Ducem.*

Itaque per Renatum hujus nominis II. Ducem avitas ditiones ſuas recuperavit Stirps Lotharingica, idque non ſine fœnore; ut exiſtimari poſſit, eo ſolum conſilio avulſam a ſuis Principibus fuiſſe Lotharingiam, ut locupletior aliquando rediret. Mox a morte Nicolai ex Andina familia tertii & poſtremi Ducis A. 1473. ab ordinibus Lotharingiæ invitatus Renatus noſter Nancejum ſolenni pompa ingreſſus die IV. Auguſti, accepto fidei Sacramento Lotharingiam moderandam ſuſcepit. Cum autem ſeptennio poſt nempe A. 1480. Renatus Andinus rara felicitate, filio, nepotique ſuperſtes, obiiſſet, avitarum Andinæ Stirpis ditionum jura in Renatum II. Loth. Ducem naſcendi jure translata ſunt. Barenſis Ducatus ſine mora Lotharingiæ unitus fuit; Fori calcarii & Provinciæ ditiones Ludovicus XI. Galliæ Rex, inſuper habita Renati II. Loth. Ducis interceſſione, coronæ ſuæ univit. Ceterum ne jura hæc aliquando in oblivionem abire poſſint, non modo harum Provinciarum, verum etiam Jeroſolymorum, Siciliæ, Arragoniæ Regis, Calabriæque Ducis titulos & inſignia hæreditario jure ab avo Renato Andino ad ſe devoluta ceteris titulis ſuis & inſignibus inſeruit Renatus II. Dux Loth. atque ad poſteros tranſmiſit. Huic Auguſta Domus Auſtriaca acceptam debet pinguiſſimam illam Burgundicam hæreditatem ob victum cæſumque Burgundiæ Ducem ultimum Carolum Audacem. Hic ut erat inquieto animo, vicinoſque laceſſere ſolitus, nulla data cauſa Lotharingiam hoſtiliter invaſerat, Renatumque II. Ducem nullo tum adhuc belli apparatu inſtructum aggreſſus, uno velut impetu cunctis pene ditionibus ſpoliaverat. Renatus ea calamitate nihil fractus, ad Helvetios foederatos ſuos ſe recepit, collectisque celeriter copiis, Carolum Audacem ſeſe inſequentem ad Muratum ditionis Bernenſis urbem ſiſtit, ingentique edita cæde profligat, uſusque fortunæ ſucceſſu, non parvam Lotharingiæ partem recuperat. Carolus Audax eam ignominiam ulturus, ut ſuos ex fuga collegit, rigidiſſimo licet hyemis tempore, Nancejum Lotharingiæ Caput arctiſſima cingit obſidione. Verum infauſto prorſus omine. Renatus enim Dux Lotharingiæ nupera victoria animatum, noviſque Lotharingorum æque ac Helvetiorum ſupplementis auctum exercitum in hoſtium conſpectu ad Nancejum explicat, pugnamque init die 5. Januarii A. 1477. Certatum eſt diu incredibili utrinque pertinacia, ad extremum Lotharingi Ducis virtuti ceſſere Burgundiones: Carolus Audax a ſuis ſenſim deſtitutus, & ipſe fugam arripuit, cumque ex palude, in quam inſilierat, ſeſe expedire non poſſet, a Beaumontio Lotharingiæ Ducis Caſtellano, repetito ictu cæſus occubuit, virilemque Burgun-

diæ, Ducum ſtirpem ſecum tumulo intulit. Renatus Dux Lotharingiæ, ut Chriſtianum decebat Heroem, Caroli Audacis, ſe imprudente interfecti, corpus ablutum pollinctumque ſplendida ſepultura honeſtavit. Unicus tum victoriæ fructus fuit, quies Lotharingiæ reſtituta; At Maximiliano I. Imperatori ea cædes Caroli lucro fuit: continuo enim jure conjugis Mariæ ampliſſimam Burgundiæ hæreditatem adiit. Cæterum Renati noſtri Loth. & Bari Ducis vita omnis glorioſis nobilitata fuit facinoribus, ut adeo rerum pace belloque geſtarum magnitudine, primis Stirpis ſuæ Principibus non immerito ſit accenſendus. Ut ut cuncta optimo duci e ſententia ſuccederent; conjugio tamen ſat diu infelix fuit. Exegerat ille rara ſane conjugii fide cum Joanna Haricourtia annos quatuordecim, ex qua, cum ob inſolitum quendam, vitio naturæ illi inditum, obicem nulla omnino ſpes procreandæ ſobolis appareret, Stirpis ſuæ orbitati conſulturus, negotium per eos, ad quos attinebat, ſedulo diſcuti juſſit: quorum ſententia cum ſpectata obicis indole, nullum fuiſſe conjugium declaratum fuiſſet, Eccleſiæ auctoritate accedente, dimiſſa Joanna, conjugem accepit Philippinam, Adolphi Geldriæ ducis filiam. Arduam illam de prioris matrimonii valore litem ex æquo dijudicatam fuiſſe, cælum probaſſe viſum fuit. Conceſſa Renato ex legitimo hoc conjugio (*a*) ampliſſima poſteritate, quam A. 1508. piiſſime decedens reliquit. Primus filiorum fuit Antonius I. Dux Lotharingiæ, & Bari, in ducatu ſucceſſor, de quo mox inferius agemus. II. Claudius Lotharingus Dux Guiſiæ in Picardia, Par Franciæ, qui poſtquam in Gallia fortunarum ſuarum ſedem fixiſſet, numeroſæ ex Antonia Bourbonia conjuge poſteritatis parens fuit, quæ ſub nomine Ducum Guiſiorum Albamarlenſium d'Aumale (*b*) Elbotenſium, d'Elbeuf (*c*) Arminiacenſium d'Armagnac, (*d*) Haricortiorum d'Harcourt, (*e*) Marſanenſium de Marsan, (*f*) & qui hinc poſtea exorti ſunt ad noſtram uſque ætatem in Gallia floruit (*g*) III. Joannes Archiepiſcopus Narbonenſis, Tullenſis, & Albigenſis, S. R. E. Cardinalis. IV. Ludovicus Comes Vadani montis, V. Franciscus Lambeſcæ in Provincia Comes. Filiorum natu ma-

(*a*) Non deerant, qui calumniarentur, poſteros Renati Ducis ex illegitimo thoro progenitos fuiſſe: ad hos refellendos, ſufficit imprimis graviſſimum Eccleſiæ judicium, quæ primum conjugium nullum fuiſſe pronunciavit, ad hæc Renatus, quo anxio aliquantum ea propter animo ſatisfaceret, demortua Joanna Harcourtia, alterum cum Philippina conjugium ſolemniter innovavit, atque poſt hanc innovationem primum lectiſſimæ ejus proles omnes natæ ſunt.

(*b*) Aumale Albamarla civitas Normandiæ cum ditione eo ſpectante Ducatus titulo decorata ab Henrico II. Galliæ Rege.

(*c*) Elbeuf Elbotum civitas, & ducatus in Normandia erectus ab Henrico III. Rege Galliæ A. 1581.

(*d*) Armagnac Arminiacenſis tractus cum titulo comitatus in Aquitania, cujus caput eſt Auguſta Aſcorum vulgo *Auch*.

(*e*) Harcourt, Haricortis Civitas Normandiæ a Ludovico XIV. ducatus nomine ornata.

(*f*) Marſan ditio Vaſconiæ cum urbe cognomine, cum titulo Vice comitatus.

(*g*) Principum Lotharingorum, qui in Gallia vixere, memoriam Deo juvante daturi ſumus in notitia rerum Lotharingicarum.

# GENEALOGIÆ AUGUSTÆ DOMUS HABSBURGO - LOTHARINGICÆ.



Matthæus II. Dux Lotharingiæ † 1250.
Uxor Catharina Duciſſa de Limburg. † 1258.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Fridericus III. Dux Lotharing II. † 1303.<br>Margareta fil. Theobaldi Regis Navarræ. | Bouchardus<br>Epiſcopus Metenſis. | Iſabella<br>Vilhelmus C. Vien. | Margareta<br>RichardusC. Montisbeliardi. | Lorra<br>Joannes Dampierius. |

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Theobaldus II. Dux Loth. † 1312.<br>Iſabella Rumignya. | Joannes Lotharingus<br>Comes Tullenſis. | Fridericus Loth.<br>Dynaſta Bremoncourt. | Matthæus Loth.<br>Dynaſta Belruart. | Fridericus Lothar.<br>Ep. Aurelianenſis. | Catharina<br>Egino Comes Friburgi. | Eliſabetha<br>1. Ludovicus Bavarus.<br>2. Henricus C. Valdimontius. |

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Fridericus IV. Dux Lothar. III. † 1328.<br>Iſabella Auſtr. Alberti I. Imp. filia. | Theobaldus Loth.<br>Archiep. Trevir. | Matthæus Loth.<br>Dynaſt. Florinarum. | Maria nupta<br>Dynaſtæ de Ferro. | Margaretha nupta<br>Dynaſtæ de Petriponte. | Hugo Loth.<br>Comes Rumigny. | Iſabella<br>Erhard. Com. Bar. |

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Rudolphus Dux Loth. † 1346.<br>Maria Comitiſſa Bleſenſis. | Theobaldus Loth.<br>Canon. Trevir. | Fridericus Loth.<br>Com. Lunevillæ. | Albertus Loth.<br>Canon. Leodien. | Margareta<br>Ulricus de Ribeaupiere. | Agnes<br>Ludovicus Gonzaga. | Eliſabetha<br>Comes Zaringæ. |

Joannes I. Dux Lotharing. † 1390.
Sophia filia Eberhardi IV. Ducis Virtembergæ.

| | | |
|---|---|---|
| Carolus I. Dux Lotharing. † 1430.<br>Margaretha filia Ruperti Palat. Imp. | Fridericus V. Loth. Comes Validimontis *Vaudemont* † 1415.<br>Margareta Hæres Comit. Validimontis. | Iſabella<br>Stephanus Dux Bavariæ. |

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Iſabella hæres Lotharingiæ † 1453.<br>Renatus I. Andegav. Dux Loth. Bari Rex Jeroſol. Siciliæ &c. † 1480. | Antonius Loth. Com. Validi montis † 1447.<br>Maria Com. de Harcourt. | Henricus Loth.<br>Ep. Metenſis. | Fridericus Loth.<br>Dyn. Rumignii. | Carolus Loth.<br>Dyn. Bovinarum. | Joanna<br>Joannes<br>Comes Salm. | Margareta<br>Vilhelmus<br>de S.Georgio. | Iſabella<br>Philippus<br>Dux Naſſov. |

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Joannes II. Andeg. Dux Loth. & Bari † 1470.<br>Maria Bourbonia † 1448. | Jolanta *Uxor* | Friderici VI. Loth. Com. Validimontis<br>*horum poſteritatem vide Tabula III.* | Joannes Lothar.<br>Com. Harcourt. | Maria<br>Comes<br>de Rohan. | Margareta<br>Antonius Dux Croyus. |

Nicolaus Andegav. Dux Loth. & Bari † 1473.
Poſt hujus mortem Ducatus Barenſis.
Juraque Stirpis Andinæ in Siciliam,
Provinciam, Jeroſolymam &c. ad Lotharingiæ.
Ducem Renatum II. tranſiere.

maximus Antonius Dux Loth. & Bari infans adhuc in Aulam Ludovici XII. Galliarum Regis traductus, regio plane more educatus fuit, intimamque ſubinde cum Pariſina Aula coluit neceſſitudinem: non Ludovico XII. ſolum, verum etiam Francisco I. Regibus multiplicibus in bellis fidelem non minus, quam utilem navavit operam: qua autem ſeu prudentia, ſeu apud ſummos principes exiſtimatione fuerit, vel inde colligere licet, quod arbitrio ſuo compoſita inter Carolum V. Cæſarem, & Franciscum I. Regem Galliæ pace, graviſſimum bellum reſtrinxerit. Illud paulo ſerius vitio illi datum fuit, quod improvido ſane conſilio Lotharingiam, quæ feudi nomine Imperio Romano ad eum diem obnoxia fuerat, liberam pronunciari impetraverit. Transactum de hac immunitate fuit cum Ferdinando I. Romanorum Rege in Comitiis Norimbergenſibus A. 1542., ea tamen lege, ut duces Lotharingiæ aliarum ditionum cauſa, (a) nihilominus clientes Romani Imperii ſe profiterentur, ac quando res poſtularit, ad communia ceteris Imperii ordinibus onera pro rata ſua concurrerent. Pacta hæc ſolenni diplomate Spiræ A. 1543. die xxviii. Julii edito confirmavit Carolus V. Cæſar. Libertas ea Lotharingis conceſſa, cum ingenti applauſu tum accepta fuit, at non multo poſt illius damna ſentiri ceperunt, poſtquam Pariſinæ Aulæ hinc oblata fuit opportunitas, Lotharingiam ab Imperii clientela, atque adeo etiam protectione avulſam in ſuam ditionem liberius redigendi. Certe Imperii Romani Ordines eam, quæ ſub Carolo III. ſubinde ſecuta fuit Lotharingiæ diminutionem, velut ad ſe minime ſpectantis provinciæ viciſſitudinem, tranquillis oculis intuebantur. His ex ſententia geſtis una adhuc Antonium exercebat ſollicitudo, Geldriam Lotharingicis ditionibus uniendi: nemini in vacantem eam Hæreditatem majus, certiuſve jus fuit præ Antonio noſtro, idque per Matrem Philippinam, quæ Caroli Geldriæ Ducis poſtremi ſine hærede extincti germana ſoror fuit: æquiſſima licet jura armis perſequi, exiguæ vires non ſinebant, bellum cum Carolo V. Cæſare tot regnorum Domino gerendum fuiſſet, qui Geldriam tum in poteſtate habebat. Itaque mitioribus viis rem effectui daturus, curas omnes intendit ad conciliandum ſibi Caroli V. animum: id quod hac ratione ſe conſecuturum ſperavit. Erat Antonio Lotharingiæ Duci ex Renata Bourbonia præter ſecundo - genitum Nicolaum Vadani montis Comitem, Ducem Mercurianum clero tum adſcriptum. (b) Filius alter Franciscus Dux Loth.,



(a) Tenebant Lotharingiæ Duces fiduciario nomine ab Imperio ceteras inter ditiones: Marchionatum Muſſipontanum, item Comitatus Blankenberg, Belliſtein & Clairemont, nec non Caſtrum Hattonis, ut patet e literis inveſtituræ, ut vocant a Rudolpho II. Imperatore, Henrico II. Lotharingiæ et Bari Duci datis.

(b) Nicolaus Lotharingus Comes Vadani montis poſt obitum Parentis mutato conſilio conjugio ſe illigavit, unde prognata fuit Stirps ducum Mercurianorum, quæ præſtantiſſimos belliduces, plures item Sanctiſſimos Eccleſiarum antiſtites orbi dedit ac prope 100. annis floruit.

erat & filia unica Anna: horum conjugia prorſus ex Caroli V. Cæſaris ſententia ordinare ſtatuit. Noverat Antonius Renatum Principem Arauſicanum, Comitem Naſſoviæ præcipua apud Cæſarem pollere gratia, itaque huic ſumma A ulæ Cæſareæ gratulatione filiam Annam deſpondit: Filio vero Francisco expetiit Chriſtinam Danicam Caroli V. ex ſorore Eliſabetha Daniæ Regina neptem, quam haud ita pridem Franciſcus Sfortia Mediolani Dux poſt aliquot menſium conjugium obiens viduam reliquerat. Annuit Antonii Ducis Votis Cæſar perlibenter, Geldriæ tamen Ducatus reſtitutionem continua procraſtinatione in longius differebat, neque unquam ſive Antonius, ſive ſucceſſores Lotharingiæ Duces optatiſſima ea hæreditate ſunt potiti. Nova hæc cum Auguſta Domo Auſtriaca, optimo licet, imo ut tum apparebat, neceſſario conſilio inita affinitas, vehementer diſplicuit Miniſtris Aulæ Gallicanæ, graviſſimis enim agitati ſuſpicionibus verebantur, ne Lotharingici Duces hactenus utiliſſimi Galliæ fœderati, ſenſim ad Auſtriacæ domus partes tranſirent, eaſdemque & virium, & præſertim cognitæ ſibi virtutis bellicæ acceſſione roborarent. Atque hæc fuere quaſi ſemina calamitatum, quæ Lotharingiæ Duces poſtea a Miniſtris Gallicanis tot annorum ſpatio tolerarunt. Ceterum de quo hactenus ſat copioſe egimus; Antonius Lothar. & Bari Dux A. 1544. e vivis exceſſit, relicto Francisco hujus nominis I. paternarum ditionum hærede.

## §. V.

*Deductio Genealogica Stirpis Lotharingicæ a* Francisco I. *Lotharingiæ, & Bari Duce, uſque ad* Carolum III. *vulgo* IV. *Ducem.*

Franciscus I. Lotharingiæ, & Bari Dux Antonii ducis filius, non tam datus, quam oſtenſus fuit ſubditis ſibi populis, in ipſo enim ætatis flore, altero Regiminis ſui Anno 1545. non ſine communi luctu e vivis ereptus fuit. Præter filias geminas: Renatam, & Dorotheam, reliquit filium unicum Carolum II. vulgo III. De hoc, quod Infans adhuc erat, ita ab ordinibus Lotharingiæ conſtitutum fuit, ut donec adoleſceret, Christina Mater æquato cum Nicolao Lotharingo Vaudani montis Comite, Duce Mercuriano imperio, Rempublicam adminiſtrarent. His Lotharingiæ præſidibus, tranquillæ res domi fuere, uſque ad A. 1552. quo Henricus II. Galliarum Rex hoſtiliter Lotharingiam invaſit. Is gravi jamdiu bello cum Carolo V. Cæſare implicitus, cum a Caroli II. Lotharingiæ Ducis adhuc pueri Matre, atque Tutrice Chriſtina cuncta ex Caroli V. Avunculi conſilio geri videret, vereretur que, ne ab Auſtriaca Matre Auſtriacis pariter placitis imbueretur filius, occupata Nanceji Urbe, Carolum II. puerum Ducem e ſereniſſimæ Genitricis manibus ereptum in Aulam ſuam tranſtulit, Gallicæ Monarchiæ utilitatibus

tatibus

tatibus auctorandum. Quo autem arctius eum ſibi, Galliæque obſtringeret, ut primum conjugio ineundo idoneus fuit, Generum ſibi delegit, tradita illi Claudia filia ſua cunctis animi corporiſque dotibus ornatiſſima. Quadriennio ipſo poſt initum matrimonium in Aula Gallica cum lectiſſima conjuge exacto, bona Francisci II. Galliæ Regis, qui Henrico II. Patri ſucceſſerat venia, in Lotharingiam A. 1562. reverſus, Carolus II. nihil eorum omiſit, quæ ad Provinciarum ſuarum commoda & incrementa facere videbantur. Inter Publica Caroli II. munificentiæ monumenta hodiedum extantia, non poſtremo loco cenſenda eſt Scientiarum Academia Muſſipontana, quæ illum ſuum veneratur fundatorem. Celebris item illic pons ſupra Moſellam ſtratus, quo gemina utrinque Urbs conjungitur. Sub paterno illius Regimine non publicum modo Ducis ærarium, verum etiam privatorum facultates abundabant, etſi Aulæ Ducalis ſplendor, & frequentia nulli omnino Europæ aularum concederet. Illud autem præcipue ad laudem Caroli II. Ducis a domeſticis æque ac externis ſcriptoribus memoriæ conſignatum reperio, quod indefeſſa ejus vigilantia effectum fuerit, ne nova Lutheri, Calvinique dogmata in Lotharingiam irrumperent. Atque hac ratione conſervata apud ſuos fidei unitate, & Eccleſiæ, & Reipublicæ ſuæ pacem procuravit, dum interea vicina Gallia diverſorum dogmatum cauſa ſciſſis animis, in factiones diviſa, mutuis cædibus pene in ruinam acta fuit; Germania vero univerſa a calentibus de religione diſceptationibus ulterius progreſſa ad mutua uſque vulnera decertabat. His curis denique immortuus fuit A. 1608. Carolus II. Dux, poſtquam Lotharingiæ, & Baro ſeu per tutores, ſeu per ſe tres & ſexaginta annos imperaſſet. Biennio ante mortem condito, ut providum decebat patrem, teſtamento, Henricum primogenitum Ducem, hæredemque inſtituit; alteri autem Francisco præter Vadani montis Comitatum, alias inſuper ditiones aſſignavit, ex quibus vitam pro dignitate traducere poſſet. Hic ut inferius narrabitur, Lotharingicam Domum ulterius propagavit; Henricus ex geminis Conjugibus nullam ſuſtulit maſculam ſobolem. Prima fuit Catharina Henrici IV., poſtea Galliæ & Navarræ Regis ſoror, quam ſibi conjunxit 1599. Sponſis benedicente Cardinale Bourbonio Archiepiſcopo Rothomagenſi. Nuptiis his, quod ſponſa Calvini dogmatibus adhæreret, ac una etiam cognatione juncta eſſet, interceſſit Clemens VIII. Pontifex, ſponſoſque illico ſub gravibus cenſuris ſeparari juſſit: fruſtra diu per literas & nuncios Romæ actum. Ipſe Dux Henricus Romam denique profectus, omnem movit lapidem, ut Pontificem in ſua vota flecteret: multis ad extremum habitis Romæ congregationibus Cardinalium, & Theologorum, cum Henricus Dux ſpopondiſſet fore, ut Sponſa ad Eccleſiæ gremium reduceretur, poſtquam annos ipſos quatuor lis agitata fuiſſet, annuit denique Pontifex; at ſera jam fuit cauſæ deciſio; Catharina enim diuturno

ſponſi, quocum aliquandiu initio vixerat, deſiderio conſumta contabuit A. 1604. Hunc in modum & ſponſa, & moleſtiis omnibus ſolutus HENRICUS Dux, alteram duxit conjugem Margaretam, Vincentii Gonzagæ Ducis Mantuæ & Eleonoræ de Medicis filiam; ex hoc thalamo geminas procreavit filias: NICOLAAM, & CLAUDIAM. Cum autem nullam ſibi amplius ſpem maſculæ prolis affulgere videret HENRICUS, ne a morte ſua Lotharingiam turbis objiceret, Fratris ſui germani FRANCISCI geminos filios generos ſibi delegit. Itaque NICOLAÆ ſeniori maritum dedit CAROLUM natu majorem hujus nominis III. Lotharingiæ Ducem, juniori autem CLAUDIÆ NICOLAUM FRANCISCUM Vadani montis Comitem: cavit inſuper & nuptiarum tempore, & ultimis poſtea tabulis, ut CAROLO ſine hærede forte ſublato; Gener alter NICOLAUS FRANCISCUS, ejuſque poſteri in Ducatu ſuccederent, quibus rite diſpoſitis vixit HENRICUS noſter A. 1624.

## §. VI.

*Deductio Genealogica Stirpis Lotharingicæ a* CAROLO III. *vulgo* IV. *Lotharingiæ & Bari Duce uſque* CAROLUM IV. *vulgo* V. *Lotharingiæ & Bari Ducem.*

Poſt HENRICI Ducis obitum ſine mora CAROLUS hujus nominis III. vulgo autem IV. Lotharingiæ, & Bari Dux, Senior FRANCISCI Vadani montis Comitis filius avitarum ditionum poſſeſſionem cœpit, atque ut Patrui, ſocerique ſui HENRICI Ducis votis aliquid deferret, in imperii ſocietatem una adſcivit conjugem ſuam NICOLAAM. Vehementer ea filii CAROLI III. Ducis conniventia diſplicuit Parenti FRANCISCO, quod eo facto non obſcure agnoſcere videretur, uxoris ſe jure Ducatum obtinuiſſe; Itaque ne id in exemplum aliquando trahi poſſet, atque ut una oſtenderet, apud Lotharingos, ſuperſtitibus maſculinis hæredibus, nullum fæminis jus eſſe, ſolenniter intercesſit, contenditque fratre ſuo HENRICO Duce ſine maribus defuncto, Ducatus jura ad ſe primum devoluta fuiſſe. CAROLUS III. Dux ea intercesſione audita, nil tergiverſatus, ſine mora Ducatum patris ſui manibus conſignavit. FRANCISCUS ut orbi palam faceret, non regni ambitu; ſed ſolummodo legis Salicæ firmandæ cauſa ſe ad id adductum fuiſſe, ſatis habuit: currenti monetæ ſuam indere effigiem, aliquot creare nobiles, nonnullaque alia ſummi imperii edere ſpecimina; quibus rite peractis, retento ſibi priore patrimonio, Lotharingiam cum Barenſi Ducatu CAROLO III. filio ſuo ſolenni ritu reſtituit, ea iterum addita lege, ut ſi hic improlis, quemadmodum poſtea factum eſt, decederet, rei ſumma ad natu minorem filium ſuum NICOLAUM FRANCISCUM recideret. Adduxit vitam FRANCISCUS I. merito inter regnantes Duces referendus ad A. 1632. cujus obitum miræ ſane rerum in Lotharingia viciſſitudines mox conſecutæ

ſunt,

# GENEALOG. AUG. DOMUS HABSB. LOTHARINGICÆ.



Fridericus VI. Lotharingus Comes Validi Montis † 1470.
Jolanta Renati Andini Ducatus Bari & Iſabellæ Lotharingiæ Hæredum filia † 1484.

Renatus II. Dux Loth. & Bari hæres Renati Andini † 1508.
Philippa Adolphi Geldriæ Ducis filia. † 1547.

Nicolaus Loth.

Petrus Loth.

Margareta
Renatus Dux Alenzonius

Jolanta
Vilhelmus Landgr. Haſſiæ.

Joanna
Carolus Andinus
Rex Jeruſ. & Siciliæ.

---

Antonius Dux Lotharingiæ & Bari † 1544.
Renata Bourbonia † 1539.

Joannes Lotharingus
Archiep. Narbonenſis
Metenſis S. R. E. Cardin.

Claudius Lotharingus Dux Guiſiæ † 1550.
*Pater Stirpis Lotharingiæ in Gallia.*

Franciſcus Lothar.
Comes Lambeſcæ † 1524.

---

Franciſcus I. Dux Loth. & Bari † 1545.
Chriſtina Danica.

Nicolaus Loth. Comes Validimontis
*Pater Ducum Mercurianorum.*

Anna
1. Renatus de Chalons
2. Philippus de Croys Dux Arſcot.

---

Carolus II. Dux Loth. & Bari † 1608.
Claudia Francica † 1574.

Dorothea
Ericus Dux Brunſvic.

Renata
Vilhelmus Dux Bavariæ.

---

Henricus Dux Loth. & Bari † 1624.
Uxor I. Catharina Bourbonia † 1604.
II. Margareta Gonzaga † 1632.

Franciſcus II. Dux Loth. & Bari Com. Validimontis † 1632.
Chriſtina Comitiſſa Salmenſis.
Vide Tab. IV.

Carolus Loth. S. R. E. Card.
Ep. Meten. Strasburg. Verdun.
† 1607.

Antonia
Joannes Vilhel.
Dux Cliviæ.

Eliſabetha
Maximilianus
Dux Bavariæ.

Chriſtina
Ferdinandus Gerardus.
M. Dux Hetruriæ.

---

Ex II. Nicolaa Loth.
Carolus III. Dux Loth. & Bari.

Claudia Loth.
Nicolaus Franciſcus Dux Loth. & Bari.

ſunt, continuoque parere ceperunt Miniſterii Gallicani conſilia, Lotharingicas ditiones Coronæ Gallicæ uniendi. Carolus III. Lotharingiæ, & Bari Dux Gallis aliquantum offenſus, quorum artibus jura Domus ſuæ non mediocriter in dies ſuccidi animadverterat, ſive quod bellicæ gloriæ, quam unice reſpirabat, campum ampliorem quæreret, vivo adhuc Parente Francisco I. cum delecta militum manu Ferdinando II. Cæſari ſuppetias venerat contra Fridericum Palatinum Bohemorum Proteſtantium Ducem, egregiamque annis aliquot Cæſaris partibus contra fœderatos hoſtes navarat operam. Cardinalis Richelius, qui jam tum Auguſtæ domus Auſtriacæ ruinam in animo ſuo deſcripſerat, & uti in rem ſuam ſtatuerat, illius belli opportunitate, quod Eccleſiæ Catholicæ tuendæ cauſa cum Proteſtantibus gerebatur, Richelius inquam alienum rationibus ſuis exiſtimans, potentem, bellicisque artibus inſigniter excultum Principem, qualis Carolus III. fuit, Auſtriaco fœderi innexum relinquere, omnem movit lapidem, ut hominem gallicis partibus conciliaret, cumque incaſſum egiſſet, Ludovicum XIII. eo adduxit, ut is juſto cum exercitu Lotharingiam invaſerit: & quia non tantæ fuere domi vires, munitiora loca omnia in Gallorum ceſſere poteſtatem. Hoc rerum poſitu Carolus III. Dux accepta fide publica ad caſtra Regis prope Nancejum profectus, non modo cupitam libertatem non impetravit, verum etiam duris admodum conditionibus per Richelium ſibi propoſitis ſubſcribere A. 1633. coactus fuit; has inter fuere: ut aliarum urbium, quas jam Galli ante inſederant, exemplo, Nancejum Ducatus caput Gallicum præſidium reciperet, Dux autem ipſe cunctis Auſtriacis fœderibus nuncium mitteret. Hoc tractatu inito, Rex Galliæ cum Richelio e Lotharingia diſceſſit; Carolus autem ut erat excelſo animo, omnisque ſervitutis impatiens, poſtquam avitarum ditionum magna parte per Gallos mutilatarum gubernium in fratrem Nicolaum Franciscum tranſtuliſſet, ſpontaneum elegit exilium, ſe ſeque more hominis fortunam bello quærentis, ad cæſarea caſtra contulit. Et vero labantes tum res Auſtriacas præſentia, & fortitudine ſua non mediocriter reſtituit, nominatim autem plurimum momenti attulit ad eam victoriam, quam Ferdinandus III. Romanorum, & Hungariæ Rex ad Nortlingam de hoſtibus reportavit. Ceterum Caroli III. Ducis virtutem Galli præſertim experti ſunt, quos non uno loco, memorabili clade affecit, in quos etiam vindicta ſtimulante paulo acerbius, quam in alios deſæviit, nunquam tamen amplius e Lotharingia ejicere potuit. Itaque errantem vitam pertæſus, atque una a Lotharingicis in Gallia ſibi ſanguine junctis Principibus ſæpius interpellatus, de pace ineunda, recuperandaque Lotharingia acturus, Pariſios ſe contulit A. 1641. Ad pacem proni fuere Miniſtri Gallicani, bellicoſi Principis militarem virtutem veriti: reſtitutus mox Carolo Lotharingiæ Ducatus, ſed ita, ut nonnullos Comitatus, & ditiones Coronæ Gallicæ in perpetuum uniendas

cede-

cederet, Nancejum toto belli tempore in Gallorum maneret poteſtate: tractatui huic ſubſcripſerat quidem tum Carolus III. Dux, at ſolenni edito ſcripto interceſſit ejus frater Nicolaus Franciscus præſumptivus ut ajunt fratris ſui, ad eum diem improlis ſucceſſor. Quin ipſe etiam Carolus III. ut primum e Gallia exceſſit, facti pœnitudine ductus, pacta omnia retractavit, & quoniam precibus & ratione Gallicanos miniſtros propitios ſibi reddere deſperarat, ad Hiſpanos graviſſimo tum bello adverſum Galliam implicitos tranſiit; ſperans fore, ut eo feliciter continuato, ſolenni aliquando pacis tractatu, terras ſuas omnes ſine diminutione ſibi reſtitui impetraret. At ſpe ſua inſigniter deluſus fuit: cum enim Gallicani Miniſtri ſplendidis pollicitationibus a fœdere hoc Ducem Lotharingum abducere necquidquam conarentur, ſecretum illud, quod eo in negotio tum interceſſerat literarum commercium, adeo Hiſpanis ſuſpectam reddiderat Lotharingi fidem, ut eum A. 1654. clam in Belgio comprehenſum in Hiſpaniam tranſmiſerint Toletano carceri includendum. Exactis illic prope quinque annis, per pacem Pyrenæam Hiſpanos inter, & Gallos concluſam A. 1659. liber e cuſtodia dimiſſus, non ſine dolore ſentire debuit, adeo exiguam eo tractatu a fœderatis ſui rationem habitam, ut Ducatum Barenſem cum pluribus comitatibus & Dynaſtiis Gallis adjudicari paſſi fuerint. Hunc in modum & a Gallis male mulctatus, & a ſociis turpiter deſertus Carolus III. Dux tantum in cauſæ ſuæ æquitate confidit, ut Pariſios rurſum profectus ſit integram ditionum, quandoquidem pax jam concluſa erat, reſtitutionem petiturus; at alia omnia, quam ſperarat, reperit: Offertur nec opinanti honorificus ad ſpeciem tractatus; cujus hæc ſumma fuit: Lotharingiæ, & Bari Ducatui, ceteriſque omnibus eo ſpectantibus ditionibus renuntiaret Carolus III. Dux, Gallicanæque Coronæ juribus in perpetuum transſcriberet: ex adverſo Rex Galliæ tantam generoſitatem remuneraturus, Carolum III. Ducem, univerſamque Lotharingicam Stirpem Regii Bourbonici Sanguinis Principibus adnumeraret, pari cum his jure, & honore fruituram, ita, ut Bourboniis deficientibus, Lotharingi Principes in Regno Galliæ ſuccederent. Carolus III. Dux diu ad inſolita hæc poſtulata ſtupore defixus hæſit, at recurrente identidem duriſſimæ captivitatis Hiſpanicæ memoria, ſimile quid a Miniſtris Galliæ veritus, magnis ſuis ingratiis ſubſcripſit A. 1662. ea unica ſpe ſe conſolans, fore, ut Auguſta domus Auſtriaca, ceterique Europæ Principes tantis, per geminos Ducatus, Galliæ acceſſionibus ſeſe opponerent. Verum tractatus hic paulo poſt ſua ſponte intercidit; partim quod Nicolai Francisci Lotharingi filius Carolus poſtea ſub nomine Caroli IV. vulgo V. in orbe cognitus, unicus tum patrui ſui Caroli III. hæres, eidem ſolenniter interceſſerit, & neque nuptiarum ſpe, neque ullius honoris, aut emolumenti alterius pollicitatione ad aſſentiendum induci unquam potuerit; partim quod Parlamentum

mentum Pariſinum, ac ipſi adeo Regii Bourbonici ſanguinis Principes eidem ſumma conſtantia obſtiterint. Hac ratione everſis Gallicani Miniſterii conſiliis, Carolus III. Dux metu amittendarum penitus provinciarum liberatus, tranquille deinceps in Lotharingia ſua vixit ad annum uſque 1670. quo Miniſtri Gallicani novis agitati ſuſpicionibus, veritique, ne Carolus III. Dux triplici Anglos inter ac Hollandos, & Svecos in Galliam fœderi ſe conjungeret, Marchionem Fourillium cum delecta militum manu in Lotharingiam miſere eo conſilio, ut noctis ſilentio occupata Nancejenſi Aula Carolum III. Ducem prima luce comprehenderet, Pariſiosque captivum adduceret. At ille imminentis periculi tempeſtive admonitus, Gallorum caſſes feliciter effugit, Lotharingiamque Gallico exercitui occupandam reliquit. Hoc rerum ſuarum ſtatu, patrocinium Leopoldi Cæſaris, aliorumque Principum imploravit Carolus noſter. Leopoldus optime de domo ſua Auguſta meriti Ducis partes eo libentius ſuſcepit, quod ejus nepos & hæres Ducatus Carolus in Caſtris cæſareis inſigni cum laude verſabatur, maximasque de futura ſua bellica gloria ſpes omnibus faciebat; Itaque hujus una indemnitati conſulturus, miſſo Pariſios Comite Vindiſchgratzio, Lotharingiæ, & Bari Ducatuum reſtitutionem poſtulabat; at ſurda aure ea tum petitio accepta fuit. Poſtrema hac repulſa majorem in modum irritatus Carolus III. Cæſareo cum Hiſpanis, & Hollandis fœderi ſe conjunxit, reliquamque vitam omnem in fœderatorum Caſtris Dux una & miles exegit. Cætera inter præclare geſta, Gallos ad pontem Saravi Sarbruck Trevirenſis ditionis oppidum memorabili clade affecit, ipſumque Gallicarum copiarum Ducem Crequium, qui Treviros ſe receperat, expugnata poſt duarum hebdomadarum obſidionem Urbe, captivum fecit. Suprema hæc fuit Caroli III. Lotharingiæ, & Bari Ducis victoria, cui non diu ſuperſtes deceſſit die 20. Septembris A. 1675. Ætatis ſeptuageſimo ſecundo. Pulchra ſane ætas! documentoque futura, corporis exercitatione, atque laboribus produci potius vitam, quam minui. Erat Carolo noſtro naturalis filius Henricus Carolus, quem vivente adhuc prima conjuge Nicolaa, ex Beatrice Cantacrucia, quæ altera poſtea ejus uxor fuit, ſuſceperat. Huic moriens in mandatis dederat, ut mox ab obitu ſuo copias Lotharingicas ad Carolum, ſuum ex Fratre nepotem adduceret, eidemque, ut legitimo Ducatus hæredi, ſacramentum fidei præſtari procuraret.

E §. VII.

## §. VII.

*Deductio Genealogica Stirpis Lotharingicæ a* Carolo IV. *vulgo* V. *Lotharingiæ, & Bari Duce, uſque ad* Franciscum III. *poſtremum inter Regnantes Lotharingiæ, & Bari Duces, hujus nominis* I. *Rom. Imperatorem.*

Agebat tum in Caſtris cæſareis ſub Montecuculo Duce Carolus Dux, Nicolai Francisci Vadani montis Comitis filius, cum Patrui ſui Caroli III. mortis nuncium accepit: famam hanc conſecutus mox fuit copiarum Lotharingicarum Duce Henrico Carolo Naturali defuncti Ducis filio adventus. Itaque ad veterum Cæſarum morem unanimi exercitus univerſi acclamatione Lotharingiæ, & Bari Dux ſalutatus, aſſumto Caroli IV. vulgo V. nomine avitorum titulorum, nam ditiones omnes in Gallorum erant poteſtate, poſſeſſionem cepit. Præſagium hoc fuit illius magnitudinis, quam bellicis expeditionibus poſtea conſecutus fuit Carolus Lotharingus. Vitam quidem omnem patria Domo exul exegit, ſed quam heroicis facinoribus ita poſtea nobilitavit, ut honorificum illud exilium optandum fuerit. Auſtriaca certe Domus huic uni ſuam ſalutem, gloriam, & incrementa debet, retulitque poſtea & illi, & illius poſteris gratiam, qua uberiorem, ſplendidioremque nec ipſe optare, nec Auguſta Domus dare potuit. Poſtquam ſolenni illi de Lotharingiæ in jus Coronæ Gallicæ ceſſioni a Patruo ſuo A. 1662. factæ ſumma conſtantia reſtitiſſet, ac idcirco etiam geminas Regiæ Stirpis Sponſas: Mariam Annam Sabaudo Nemoſienſem de Nemours & alteram Annam Mariam Ludovicam Aurelianenſem reſpuiſſet, male ſibi ab exulceratis Gallicanis miniſtris metuens, clam ſe Pariſiis ſubduxit, Viennamque ad Leopoldum Cæſarem convolavit. Itaque Anno ætatis nono ſupra decimum militiam orſus, illius rudimenta poſuit in Hungaria ſub Montecuculo Duce. Per omnes poſtea militiæ gradus ſuo merito aſcendens, A. 1676. Montecuculo ſuffectus, ſupremum in copias Cæſareas imperium ſuſcepit. Nec mora tam fauſto ubique ſucceſſu uſus fuit, ut univerſæ Europæ oculos in ſe converterit, Galliæ præſertim, quæ in eo Principe validiſſimum tum hoſtem ſentire debuit, quem ſi mitioribus olim conditionibus Lotharingiæ reſtitutum ſibi devincere noviſſet, potentiſſimum ſane fœderatum habere poterat. Novi copiarum Imperatoris initia pluribus mox victoriis illuſtrata ſunt; expugnata in conſpectu Gallici Exercitus Philippopoli, ejecto Rhinfelda & Offenburgo Galliæ Mareſchallo Crequio, ſuperatis ſumma celeritate difficillimis alpium anfractibus, nemini poſt Julium Cæſarem tentatis. Inde ad ſervandam contra Turcas Auſtriam revocatus Carolus IV. Lotharingus, conceptam de virtute, fortunaque ſua exiſtimationem paulo altius evexit. Quis fidem haberet, niſi certiſſimis conſtaret monumentis comprobatum? Carolum IV. Lotharingum cum XL. ſuorum millibus validiſſimum prope CCC. millium Turcarum exercitum, qui

totam torrentis inſtar inundabat Hungariam, aggredi auſurum fuiſſe? aggreſſus fuit Carolus noſter, nec aggreſſus modo; verum etiam totam eam multitudinem feliciter profligavit. Kara Muſtapha Vezirius ſuorum numero confiſus Viennam Auſtriæ arctiſſima A. 1683. cinxit obſidione, nil dubitans fore, ut ſubacta Auſtriaci Dominatus Urbe Principe, Germaniam ſubinde Ottomannico ſubmittat Imperio. Res erat plena periculi: Urbis mœnia, & præſidiariorum pro tam vaſta Urbe exiguus numerus, tantæ multitudinis impetui retundendo impar fuit: poſtquam Vir immortali memoria dignus Comes Stahrembergius Urbis Præfectus ſumma fortitudine aliquo tempore oppugnatorum vim ſuſtinuiſſet, Carolus Lotharingus adventu Joannis Sobiesky Poloniæ Regis cum XXV. ſuorum millibus recreatus, ordinata arbitrio ſuo acie, Turcas die 12. Septembris aggreditur: Vincit, profligat, caſtris impedimentisque omnibus potitur, atque ſic uno die nobiliſſimam Urbem obſidione, Germaniam univerſam periculo, Cæſarem autem metu liberavit. Translato mox in Hungariam bello, eodem adhuc anno, & ſequentibus lætiſſima ſemper fortuna uſus Carolus Lotharingius, inſignes de hoſtibus victorias retulit, compluresque arces, & civitates eripuit. A. 1686. die 2. Septembris famigeratam illam Hungariæ Metropolim Budam, cæſis præſidiariis omnibus, armata manu expugnavit, Turcarumque dominationem uno velut impetu in ruinam egit. Quod autem fauſtiſſimi inſtar ominis fuit, eo ipſo in loco ad Mohacſium, quo A. 1526. Hungaria cum Rege ſuo Ludovico II. perierat, poſt atrociſſimam pugnam Ottomannos internecione delevit A. 1687. præda V. millionibus æſtimata fuit. Denique ex eo die perpetuis cladibus attriti Turcæ, ſenſim ex Hungaria ſunt ejecti. Tot trophæis illuſtris Carolus Lotharingus adverſus Gallos redire juſſus, non minore ſucceſſu rem agere cœpit: Moguntia, & Bona cæſis Gallis in poteſtatem redacta, ſpem futurarum victoriarum Leopoldo Cæſari faciebat; at aliter cælo viſum fuit; in ipſo enim belli tumultu, Invictiſſimum Heroem Carolum IV. Lotharingum terris eripuit, Velzii in Auſtria A. 1690. die 18. Aprilis. Luxit Leopoldus Cæſar Sceptrorum, provinciarumque ſuarum conſervatorem. Luxit lectiſſimum conjugem ſereniſſima Uxor Eleonora Maria, Leopoldi Cæſaris ſoror, quam a Michaele Poloniæ Rege viduam relictam A. 1678. ſibi matrimonio copulaverat; ſed juſtiſſimum hujus luctum aliquantum abſterſit florentiſſima elegantiſſimarum prolium Corona, per quam heroicus Caroli IV. Patris ſanguis feliciter propagatus fuit: fuere porro ſequentes I. Leopoldus in Lotharingiæ, & Bari Ducatu Succeſſor. II. Carolus Epiſcopus Oſnabrugenſis, Olomucenſis, Elector Trevirenſis, M. Prior Caſtiliæ A. 1715. variolis conſumtus. III. Josephus militiam ſecutus, atque A. 1705. in prælio ad Caſſanum cæſus. IV. Franciscus Antonius Canonicus Leodienſis, & Colonienſis ex variolis defunctus Lunevillæ A. 1715. Filiorum Caroli IV. vulgo V.

Lotharingi Herois ævo ſuo celebratiſſimi Primogenitus Leopoldus Dux non niſi Septennio poſt Patris obitum avitarum ditionum poſſeſſionem adiit, poſt pacem Ryſvicenſem A. 1697. Ludovicus XIV. cum videret & Leopoldum Cæſarem, & cæteros Europæ Principes in petenda Lotharingiæ reſtitutione conſtantes eſſe; ne novo bello ea propter ſe implicaret, ſolo prius æquatis munimentis omnibus, e Lotharingia & Baro militem ſuum penitus eduxit. Multum ad flectendum Ludovici XIV. animum contulere nuptiæ Leopoldi Ducis cum Eliſabetha Charlotta Aurelianenſis Ducis, qui Regis germanus fuit, filia, quam eo potiſſimum conſilio Auſtriaca licet Mater Eleonora ſibi nurum delegerat, ut filio ſuo, per eam cum Bourbonica Domo conjunctionem, tranquillam redderet Lotharingiæ ditionum poſſeſſionem. Neque ſpe ſua deluſa fuit provida ſane Mulier: Nil enim hoſtile a Gallis deinceps expertus fuit Leopoldus Dux, niſi quod toto ſucceſſionis hiſpanicæ bello Nancejum Gallico præſidio obnoxium fuerit. Et vero inſignis eo tempore eluxit Leopoldi Ducis prudentia: qui ita conſtanter neutras partes ſequi noverat, ut ab omnibus belli incommodis immunem ſervarit Lotharingiam. Pax ea domi prorſus neceſſaria fuit, ut Lotharingicæ ditiones jam inde ab Henrici Ducis obitu ſeptuaginta prope annis, innumeris belli incommodis vexatæ, abſterſo ſquallore ad priſtinum florem revocarentur. Iſtud quidem feliciter regiminis ſui tempore præſtitit Leopoldus Dux; novis enim deductis coloniis, tum egentibus præſertim Nobilibus, ut rem ſuam familiarem conſtabilire poſſent publico ære adjutis; evocatis præſtantiſſimis artium magiſtris, inſtituto commercio, id ſpatio 20. annorum effectum eſt, ut Lotharingia una e florentiſſimis ditiſſimiſque Europæ Provinciis evaſerit, adeo, ut pro quorum egeſtate ſublevanda principio Eleemoſynæ diſtribuendæ erant; his jam ad luxum caſtigandum leges præſcribi neceſſe fuerit. Tantum nempe ad ſubditorum felicitatem poteſt Principis prudentia, ſi ea, quæ huc faciunt adhibere velit remedia. Ornavit ad hæc ſuperbiſſimi operis ædificiis publicis Lotharingiam Leopoldus Dux, nominatim Nanceji, & Lunevillæ: quibus addendæ æſtivæ ædes Malgranenſes, & Einvillenſes. Sparſa per univerſam Europam magnificentiæ, & in exteros humanitatis Leopoldi Ducis fama, tantam virorum Principum excivit frequentiam, ut nunquam ab illis vacua eſſet Aula ducalis. Atque hæ fuere Leopoldi noſtri per triginta, quibus præfuit, annos occupationes, quibus ſuos unice felices, florenteſque, ſuo etiam cum diſpendio, reddere conatus fuit. Si innumera bella geſſiſſe, ſi in hos uſus ſuorum facultates exhauſiſſe, ſi ferro & igne deleviſſe Urbes, & Provincias, ſi per hoſtium cædem, & ſanguinem triumphos legiſſe heroem facit; in horum numero Leopoldus noſter locum non habet; at ſi deſolatis regionibus frequentiam reſtituere; ex egentiſſimis ſubditis locupletes reddere: ſi artibus, & commerciis conſtabi-

ſtabi-

ſtabilitis, fontem opulentiæ reſerare: ſi denique populi Patrem eſſe magnum quiddam cenſendum eſt, non immerito *Herois benefici* laudem merebitur Leopoldus, quæ quidem non tantum, quantum bellica illa gloria, habet admirabilitatis; plus tamen multo in genus humanum refundit utilitatis. Atque hanc unice laudem a ſuis quæſivit Leopoldus, ac una obtinuit. Vitam porro ſingulari plane religione, & conjugii fide adduxit uſque ad A. 1729., quo die XXVII. Martii piiſſime deceſſit ætatis anno XLIX. Ejus corpus Majorum tumulo illatum fuit apud PP. S. Franciſci; cor autem, ut moriens ultimis tabulis caverat, conditum eſt in templo Novitiatus Societatis Jeſu Nanceji. Lotharingi, & Barenſes ſubditi ſinceras, & copioſas lacrimas, nobiliſſimum optimis Principibus tributi genus, Leopoldo Patri Patriæ litavere. Huic Duci Lotharingica Domus debet *Regiæ Celſitudinis* titulos, quos a Leopoldo M. Cæſare collatos A. 1701., Gallia etiam paulo ſerius ratos habuit. Ex lectiſſima conjuge Eliſabetha Aurelianenſi, duodecim ſuſceperat proles Leopoldus, ſed quarum nonniſi quaternas ſuperſtites reliquit. I. Franciscum hujus nominis III. Lotharingiæ & Bari Ducem, poſtea M. Ducem Hetruriæ, qui ſubinde primus in ſereniſſimam domum ſuam Romani Imperii dignitatem intulit, II. Carolum, natum XII. Decembr. A. 1712, hic ſereniſſimæ conjugi ſuæ Mariæ Annæ Caroli VI. filiæ ſecundo genitæ A. 1744. die 16. Decembris e vivis ereptæ, in Belgii gubernatione ſucceſſit, eidemque nunc etiam ſumma cum poteſtate præeſt, Magni inſuper Magiſtri ordinis Teutonici dignitate ornatus. An. 1761. die 4. Maji. Prima militiæ rudimenta poſuit bello Turcico poſtremo, tum vero conjurata in Mariæ Theresiæ Augustæ perniciem univerſa prope Europa, A. 1742. copiis Auſtriacis ſumma cum poteſtate præfuit, profligatisque præſertim Bavaris, Gallisque hoſtibus, Auguſtæ Affinis ſuæ ſceptrum ſervavit. Ejus res bello geſtas hic recenſere alienum eſt ab inſtituto noſtro. Filiarum Leopoldi Ducis Altera Elisabetha Theresia nata fuit XV. Octobris A. 1711. nuptui tradita A. 1737. Carolo Emanueli III. Sardiniæ Regi, obiitque A. 1741. die II. Julii: quam hoc, quo ſcribimus, A. 1773. die 20. Februarii Rex maritus conſecutus eſt, immortali ad poſteros, præſertim a Religione, & prudentia ſui relicta memoria. Poſtrema Prolium Anna Charlotta primam lucem aſpexit Lunevillæ 1714. die XVII. Maii, facta A. 1738. die 10. Maii Abbatiſſa Montis Romarici Remiremont, tum Montis Hannoniæ A. 1754. die 17. Novembr. denique Coadjutrix Abbatiſſæ Thorenſis in Leodienſi A. 1756. die 18. Januarii, Eſſendienſis autem A. 1757. die 18. Januarii. Vivit feliciter. Ex Prolibus, quæ Parenti ſuo Leopoldo Duci præmortuæ fuere, juvat hic ad poſterorum memoriam adnotare nonnulla de Leopoldo Carolo primogenito: Natus fuit Lunevillæ A. 1707. die 25. Aprilis. Is cum raris ſane ingenii dotibus

 a na-

# GENEALOGIÆ AUG. DOMUS HABSBURGO-LOTHARINGICÆ.

Tab. IV. ad pag. 38.

Franciſcus II. Dux Lotharingiæ & Bari Comes Validimontis † 1632.
Uxor Chriſtina Comitiſſa Salm.

---

Carolus III. Dux Loth. & Bari. † 1675.
Uxor Nicolaa filia Henrici Ducis Loth. & Bari hæres † 1657.

Nicolaus Franciscus Dux Loth. & Bari ab Anno 1633. † 1670.
Claudia Henrici Ducis Loth. & Bari filia hæres. † 1643.

Margareta Lotharing.
Maritus. Joannes Gaſto Dux Aurelianenſis.

---

Carolus IV. *vulgo* V. *Victor* Dux Loth. & Bari. nat. Viennæ 1643. 6. April. † Velzii 1690. XVIII. April.
Eleonora Maria A. A. Ferdinandi III. Imp. Reg. Hung. Boh. &c. filia † 1697. XVII. Decembr.

---

Leopoldus *Beneficus* Dux Loth. & Bari † 1729. 26. Martii.
Eliſabetha Charlotta D. Aurelianenſis † 1744. 24. Decembris.

Carolus Loth. Epiſcopus
Oſnabrug. Olomuce.
Elector Trevirenſis.

Joſephus Lotharingus
Cæſus in pugna ad Caſſanum 1705.

Franciſcus Antonius Lotharingus
Canonicus Leodien. & Colonienſis.

---

Leopoldus Clemens vivente Patre
Dux Loth. & Bari † 1723. 4. Junii.

FRANCISCUS III. Dux Loth. & Bari nat. Lunevillæ 1708. 8. Decemb.
ad aulam Cæſar. translatus Viennam A. 1723. Locumten. Hungariæ 1732.
M. Dux Hetruriæ 1737. Corregens Hung. &c. 1741. Romanorum Imp.
elect. & coronat. 1745. 4. Octob. Obiit Oeniponti 1765. 18. Aug. ſepultus
Viennæ quieſcit in Cæſar. Mauſol.
Uxor MARIA THERESIA Caroli VI. filia hæres vi ſanct. prag. Reg. Hung. Boh. &c.
nat. 1717. 13. Maii.

Carolus Alexander Loth. Princeps. Belg. Gub.
nat. 1712. 12. Decembris M. Mag. Ord.
Teuton. elect. 1761. 4. Maii.
Uxor Maria Anna A. A. Caroli VI. Imp. filia
nupt. 1744. 7. Jan. † 1744. 6. Decembris.

Eliſabetha Thereſia Loth. † 1741. 2. Julii
Marit. Carolus Emanuel III. Rex Sardiniæ
† 1773. 20. Februarii.

Anna Charlotta nat. 1714. 17. Maii.
Abb. Princ. Montis Hannoniæ ab A. 1754.
Abb. Thorenſis & Eſſendien.

---

Maria Anna Arch. D. Auſt.
nat. 1738. 6. Octob.

Joſephus II. Rom. Imp.
Correg. & Hæres Hung.
Boh. &c. nat. 1741.
13. Mart. ſucceſſit in
Imper. 1765.

Maria Chriſtina A A. nat. 1742.
13. Maii nupt. 1766. 8. April.
ALBERTO Reg. Pol. Principi.
Saxo Teſchin. Duci per Reg.
Hung. Locumtenenti Regio.

Maria Eliſabetha A. A.
nat. 1743. 13. Aug.

Maria Amalia A. A.
nat. 1746. 26. Febr.
nupt. 1769. 27. Jun.
Ferdinando Inf. Hiſp.
Parmæ & Plac. Duci.

Petrus Leopoldus A. A.
M. D. Hetr. nat. 1747.
5. Maii. Succeſſ. in Hetr.
AUG. Patri, & conjugem
duxit 1765. 5. Auguſt.
MARIAM LUDOVICAM
fil. Caroli IV. Reg. Hiſp.

Maria Carolina A. A.
nat. 1752. 13. Aug.
nupt. 1768. 7. April.
FERDINANDO IV.
Regi Utriusque Siciliæ.

Ferdinandus A. A.
nat. 1754. 1. Junii
Lomb. Auſtr. Gubern.
duxit. 1771. 15. Octob.
MARIAM BEATRICEM
Eſtenſ. Duc. Mutin.

Maria Antonia A. A.
nat. 1755. 2. Novemb.
nupt. 1770. 16. Maii
LUDOVICO AUGUSTO
Galliæ Delphino.

Maximilianus A. A.
nat. 1756. 8. Decemb.
Coadj. M. Mag. O.
Teuton. elect. 1769.
3. Octob.

---

Maria Thereſia A. A.
M. D. Het. nat. 1767.
4. Januar.

Franciſcus Joſephus A. A.
M. D. Hetr. hæred. Princ.
natus 1768. 12. Febr.

Joſephus Ferdinandus
A. A. M. D. Hetruriæ
nat. 1769. 11. Maii.

Maria Anna A. A.
M. D. Hetr. nata
1770. 21. Apr.

Carolus A. A.
M. D. Hetruriæ.
n. 1771. 5. Sept.

ter probatus fuit, dignusque viſus iis deſtinationibus, quas Auguſtus Cæſar jam ante in animo ſuo deſcripſerat. Poſtquam Viennam reditum fuit, Cæſar FRANCISCUM filii inſtar complexus, ſine mora pro Auguſtæ Domus Auſtriacæ Principum more ſeparatam illi conſtituit Aulam, Moderatores præſtantiſſimos addixit ſereniſſimi Principis moribus & ſtudiis curam impenſuros: ita nihilominus, ut cuncta non aliter, quam juxta præſcriptam a ſapientiſſimo Cæſare normam gererentur. Sic traducta in conſpectu CAROLI VI. adoleſcentia, cum annum ætatis XXI. attigiſſet FRANCISCUS, tantisper Aulæ Cæſareæ ſe ſubducere coactus fuit. Poſt obitum enim Parentis LEOPOLDI Ducis in Lotharingiam revocatus A. 1729. Vienna diſceſſit, avitarum ditionum poſſeſſionem initurus. Accepto a ſuis menſe Novembri fidei ſacramento Lunevillæ, Anni inſequentis die 1. Februarii, clientelam Barenſis Ducatus nomine profeſſus eſt LUDOVICO XV. Galliæ Regi Verſalliæ: qua occaſione incredibilem ſibi Aulæ Gallicanæ amorem æſtimationemque procuravit; id quod fundamentum poſtea fuit, illius unionis, qua potentiſſimæ duæ Domus, Auſtriaca, & Bourbonica paulo ſerius arctiſſime copulatæ ſunt.

Pariſiis Lunevillam redux FRANCISCUS ingenti animo omnes Reipublicæ partes inſtaurare aggreſſus, præcipuo ſtudio incubuit, ad reparandum ærarium Ducale, quod demortui Parentis profuſa liberalitas ad fundum uſque exhauſerat: hunc in finem complures a juribus Ducis avulſas dynaſtias recepit, moderatam ad hæc vectigalium rationem præſcripſit; quæ res ſumme neceſſaria fuit: eo enim inſolita LEOPOLDI Ducis clementia malum evaſerat, ut plurimis a tributo exemptis, prope jam ipſa in publicum pendendi conſuetudo exoleverit. Quo autem Nobilitatis Lotharingicæ luxum, quem nullæ jam leges corrigere potuerant, exemplo ſuo exſtirparet, nihil in cultu corporis exquiſitum præſetulit, ex Aula etiam omnem ſplendorem, decoro unice retento, profligavit. Atque his artibus brevi effecit, ut Nobilitas luxum ſuum ſenſim erubeſceret, ſe ſeque Duci ſuo in victu, amictu, ceteroque cultu conformare inciperet. Certe ſubditorum vitia non tam legibus, quam exemplis Imperantium corrigi ſolent. Neque illud hic tacendum FRANCISCI Ducis humilitatis exemplum. Cum enim, ut religionis principiis inſigniter imbutus erat, ſerio in animo ſuo reputaret, in divinæ Majeſtatis conſpectu omnes homines pares, ſupremoque cæli, & terræ Domino, Imperantes æque ac ſubditos ſubjectos eſſe, abolita cetera laudabili conſuetudine, qua Principibus honoratior, ac a vulgo ſecretus locus in Eccleſia tribui ſolet; ut ſors tulit, turbæ immixtus, Divinis officiis in templo intereſſe, atque ad SS. Sacramenta percipienda accedere ſolebat, adeo, ut ſola pietate, & modeſtia a vulgo hominum diſcerneretur. Virtutes has ſingulares non mediocriter exornabat eximia illa in omne genus hominum clementia, & humanitas, qua non modo faſtum, & arrogantiam

poten-

potentiorum repreſſit, verum etiam omnium ſibi amorem conciliavit. Id etiam hac arte conſecutus eſt, ut tam rara Principis affabilitate animati ſubditi, ſincerius arcana animi ſui aperirent: quo haud ſcio, an aliquid Imperantibus ad communem felicitatem procurandam optabilius, utiliusque eſſe poſſit. Fere enim inde mala Reipublicæ adminiſtratio ortum ducit, quod Principes ſuos non noſcant, verumque non aſſequantur. Talem cum ſe biennio prope in Lotharingia exhibuiſſet Franciscus, incredibile dictu eſt, quanto luctu omnes compleverit, cum credita Sereniſſimæ Matri ſuæ Republica A. 1731. Lotharingiam nunquam amplius ab ſe revidendam reliquit. Inde reducem Carolus VI. Hungaricis ditionibus vicaria poteſtate moderandis Locumtenentis titulo præfecit, quod etiam munus A. 1732. menſe Junio Poſonii auſpicatus, ad obitum uſque Cæſaris communi gentis Hungaricæ gratulatione continuavit. Eodem adhuc anno præter ſpem exorto Auſtriam inter & Bourbonios bello, prima hoſtiles impetus ſenſit Lotharingia, cujus præcipuæ Urbes omnes cum Nancejo ſine mora a Gallicano milite ſunt occupatæ: nunquam bellum breviore tempore tam ſubitas in Europam invexit viciſſitudines. Poſtquam Carolus VI. contra unitas Galliæ, Hiſpaniæ, Sardiniæque vires minus proſpero ſucceſſu aliquandiu decertaſſet, totus ſanctionis pragmaticæ ſtabiliendæ deſiderio æſtuans, ea ratione pacem conſtituendam putavit, per quam ſereniſſimæ filiæ ſuæ MARIÆ THERESIÆ in hæreditariis provinciis omnibus ſucceſſio caveretur. Quæ vota Cæſaris, quia minime latebant Miniſtros Bourbonios, huc curas omnes verterunt, ut ea cautio Cæſari caro ſtaret: itaque ſumma fiducia quidvis extorquendi animati, ea propoſuere poſtulata, quæ Cæſar aliis rerum rationibus prorſus rejecturus fuiſſet. Actum porro de pace Viennæ Auſtriæ A. 1735. Præliminaria concordiæ capita ſignata ſunt utrinque die 3. Octobris, quorum hæc ſumma fuit: Cæſar Infanti Carolo hodie III. Hiſpaniæ Regi, tum vero Parmæ, Placentiæque Duci, Magni Ducatus hæredi cederet Regna Neapolis, & Siciliæ: Hic ex adverſo ſua in Hetruſcam hæreditatem ſucceſſionis jura in Cæſarem transferret: Stanislao Lecinſzky Poloniæ Regi, armis Auſtriacis in favorem Auguſti Saxoniæ Electoris e ſolio dejecto, Lotharingiæ, & Bari Ducatus ad obitum uſque concederentur, ſubinde coronæ Gallicæ perpetuo jure uniendi: horum autem loco Francisco Lotharingiæ & Bari Duci ejusdemque hæredibus Magnus Hetruriæ Ducatus traderetur mox ab obitu Joannis Gaſtonis M. Ducis conſignandus. Denique Sanctio pragmatica, quemadmodum a Carolo VI. Cæſare deſcripta fuit, ab omnibus admitteretur, quæ omnia triennio poſt ſolenni pace Viennenſi A. 1738 die 18. Novembris ſignata, novum robur accepere. Quam primum de præviis pacis capitibus inter Belligerantes conventum fuit, Carolus VI. Cæſar, ut Franciscum Lotharingiæ Ducem ad grande illud ſacrificium, quale fuit avi-

tis

tis ditionibus ſuis per VII. Secula poſſeſſis momento veluti renunciare, ut inquam eundem ad hoc ſacrificium eo libentius peragendum induceret, Primogenitam filiam ſuam MARIAM THERESIAM rara non minus corporis forma; quam animi dotibus ornatiſſimam, ad hæc hæreditariarum Provinciarum omnium hæredem opulentiſſimam FRANCISCO Duci deſpondit, celebratisque A. 1736. die 12. Februarii auguſta plane pompa nuptiis, conjugem tradidit. Tam ſuavi pretioſoque vinculo Auguſtæ Domui Auſtriacæ copulatus FRANCISCUS, tali item, qua nobiliorem digrioremque nunquam orbis tulit, ſponſa potitus: quid ni cuncta lubens dimitteret? Quare Cæſari morem geſturus, ſolenni edito inſtrumento, Viennæ die 24. Septembris ejuſdem anni ducatum Barenſem certis conditionibus Coronæ Gallicanæ juribus transſcripſit. Lotharingia vero, retentis tamen titulis omnibus, ſe ſe abdicavit Poſonii A. 1737. die 13. Februarii ea tamen lege, ut Principatus Commerciacenſis in Barenſi ditione ſitus Sereniſſimæ Matri Eliſabethæ Charlottæ vita comite poſſidendus relinqueretur, adjectis annuis DC. mille libris Gallicis e Lotharingia eidem pendendis. Ubi primum ceſſionis hujus fama in Lotharingiam pervenit, incredibilis luctus, & conſternatio univerſam gentem invaſit: difficile quidem fuit FRANCISCO Duci hæreditarias ditiones ſuas tot ſæculis poſſeſſas dimittere; at multo difficilius erat Lotharingis a legitimis Principibus ſuis, tam piis, tam clementibus, tam bene de ſe meritis ſeparari, atque in eorum, quos antea potentiſſimos hoſtes experti fuere dominationem concedere. Vivunt etiam num oculati teſtes triſtiſſimi illius ſpectaculi, quod Lotharingiæ populi eo die dedere, quo Sereniſſima Dux Eliſabetha Charlotta, FRANCISCI Ducis Mater vidua, deſerta Lunevilla, ad deſignatum ſibi Commerciacum diſcedebat. Ut primum initium profectioni datum, vidiſſes Lotharingiam omnem in vias publicas effuſam, lacrimis per ora manantibus, ſublatis in cœlum oculis manibusque, lugubri, ut nonniſi deſperatiſſimis rebus ſolet, voce ſuperum hominumque opem implorantem; pars ante regales currus in genua provoluta, iter intercipere, arrepto freno, equos ſiſtere: in progredientem currum manus injicere alii: remotiores, continuos inter ejulatus retinere violentium more brachia abeuntem verſus tendere, ætate provectiores, queis plurium ducum deceſſorum, ſub quibus ſtipendia meruere, memoria doloris acerbitatem auxerat, in venerandam ſuam canitiem atrocius vellendo ſævire: Nemo denique fuit, nec imbellis mulierum, virginum, infantiumque turba, quæ non communi luctu abrepta, aliquod edidiſſet privati doloris argumentum. Ipſa Sereniſſima Dux aliquoties gradum ſiſtere coacta, ea univerſi populi comploratione viſa, ut clementiſſimo fuit animo, ſubditorum fletibus ſuas miſcuit lacrimas, ſicque ſuum teſtata dolorem, triſtes, futurorumque expectatione ſuſpenſos reliquit Lotharingos. Triſte quidem ſpectaculum! ſed illuſtre, ſplendidiſ-

didiſſimisque Romanorum triumphis præferendum: quod enim luculentius ſui in Principes ſuos amoris, & fidei tributum pendere poterant Lotharingi, quam lacrimas; Atque hic Sereniſſimæ Ducis Lunevilla diſceſſus finem impoſuit Lotharingiæ Ducum in cognominem ditionem dominatui, poſtquam inde ab Gerardo Alſatiæ Duce ſexcentis nonaginta octo annis eidem ſumma cum gloria imperaſſent. Sed tantæ jacturæ dolorem minuere potuit magnitudo illa, ad quam ſubinde in Francisco Duce ſuo poſtremo evecta fuit Sereniſſima hæc domus. Non multo poſt amiſſos Lotharingiæ & Bari ducatus aditus in Hetruriam patuit, mortuo enim die 9. Julii e. A. Joanne Gaſtone e Medicis Ducibus poſtremo, per legatum ſuum Craonis Principem, Magni Ducatus Hetruriæ poſſeſſionem cepit Franciscus inter magnos Duces hujus nominis III. Aberat nempe tum in Hungariæ limitibus, bello adverſus Turcas adminiſtrando præfectus, quod alternante fortuna geſtum Belgradenſi pace A. 1739. die 1. Septembris compoſitum fuit. In expeditione hac ſiniſtra fere valetudine uſus Franciscus, primum Budam; tum vero Viennam deportatus, ut primum ſanitatem viresque recepit, cum Auguſta conjuge ſua adhuc A. 1738. die 17. Decembris hinc diſcedens, Florentiam appulit die 20. Januarii anni inſequentis, ſolemnemque ingreſſum celebravit. Trimeſtri poſtea illic exacto, quod viſitandis ditionibus ſuis, & ordinandæ Reipublicæ impendit; Taurinum Sereniſſimæ Reginæ Sardiniæ ſororis ſuæ videndæ cauſa deflexit; quo itinere cum una Sereniſſimam Matrem ſuam, quæ filii, nuruſque gratia Commerciaco in Italiam venerat, ultimum ſalutaſſet, Viennam incolumis rediit. Mors Caroli VI. Cæſaris, quæ in diem 20. Octobris A. 1740. inciderat, vaſtiſſimum curarum, laborumque campum Francisco aperuit. Mox a Cæſaris obitu a Sereniſſima Conjuge in Regiminis ſocietatem Corregentis nomine adſcitus, pro arctiſſimo & conjugii, & amoris, quo gratiis omnibus ornatiſſimæ MARIÆ THERESIÆ ſuæ conjunctiſſimus erat vinculo, res illius non ſecus atque ſuas procurabat. Imperatoriam quidem dignitatem eidem Carolus VII. Bavarus, totius pene Europæ fœderibus adjutus eripuerat; at poſtquam hic & vitam, & imperium A. 1745. poſuit; agente MARIA THERESIA Conjuge, cujus victricia arma hoſtibus jam formidini eſſe ceperant, die 13. Septembris eodem Anno communibus votis Rex Germaniæ electus, die 4. Octobris onomaſtico ſuo, Franciscus I. Magnus Hetruriæ Dux Imperii diademate coronatus, primus ſupremum hanc dignitatem in Auguſtam Domum ſuam intulit, quæ ut ſecuturis deinceps Seculis pro communi totius Europæ felicitate apud eandem conquieſcat, ardentiſſime cupio. Pace ſubinde A. 1748. ubivis reſtituta, per omnes vitæ annos qualem ſe ſe Franciscus I. Romanorum Imperator exhibuerit, actum agerem, ſi hic recenſere vellem. Illius ſingularis religio, æquitas, in omne genus hominum clementia,

&

& humanitas, intemerata (*a*) conjugii fides, aliæque virtutes, paſſim omnium ore, calamisque celebrantur, poſterisque exemplo erunt. Quantus hæreditariarum Provinciarum omnium in optimum Cæſarem amor fuerit, teſtes ſunt illæ lacrimæ, & communis luctus, atque comploratio, qua defuncti mortem ætas, ſexusve omnis profecutus fuit. Annus erat Seculi hujus Quintus ſupra Sexageſimum, Julii vero dies IV. quo ſummi orbis Principes FRANCISCUS I. & MARIA THERESIA Oenipontum in Tyroli diſceſſere, ut PETRI LEOPOLDI Archiducis Auſtriæ deſignati M. Ducis Hetruriæ, cum MARIA LUDOVICA Hiſpaniæ Infante nuptias Auguſtiores redderent. Aderant itineris comites præter Sereniſſimum Sponſum, JOSEPHUS II. hodie Rom. Imp. tum adhuc Romanorum Rex, MARIA ANNA & MARIA CHRISTINA Archiduces: Nuptiis die V. Auguſti, auguſta magnificentia terminatis, optima conſtanter valetudine utebatur AUGUSTUS, quin ipſo adhuc obitus die 18. Auguſti jucunde, ut ſolebat, convivatus, ad muſicum drama audiendum ſe contulit: ubi circa horam 10. noctis ægrius ſibi eſſe ſentiens, cum in cubile Auguſto filio JOSEPHO II. comitante ingreditur, apoplectico ictu proſtratus, poſt aliquot minuta in filii complexu pie religioſeque traductam vitam clauſit. Eluxit tum in Auguſto JOSEPHO inſignis animi fortitudo, qui acerbiſſimum illud vulnus invicto tulit animo, ſibique ſemper conſtans, quidquid ad funeris pompam pertinere viſum fuit, ipſe provide ſapienterque diſpoſuit. Corpus Auguſti pollinctum, & ſecundo Danubio Viennam devectum, in Criptam Cæſaream illatum fuit. Auguſta optimi Cæſaris conjux MARIA THERESIA, ad quam potiſſima jacturæ pars pertinuit, ut quæ cariſſimum, quod in terris habebat, momento amiſerat, ubi ſe a luctu collegit; quo perpetuum triſtiſſimi illius caſus, ac una ſui in Conjugem amoris exſtaret monumentum, Cubile illud in Sacellum commutari juſſit, adjecit inſuper Collegium Illuſtrium Domicellarum, quarum teſſera e ſiniſtra pectoris parte ſuſpenſa funeſtiſſimæ diei memoriam tueretur. (*b*) Præter ſolennes exequias Oeniponti, & Viennæ celebratas nulla Provincia, nullaque Urbs, aut Communitas fuit, quæ non ultimum hoc Piiſſimo Cæſari obſequium



(*a*) Sanctiſſimi conjugii fructus, lectiſſimam ſobolem paulo inferius in rebus AUGUSTÆ MARIÆ THERESIÆ enumeraturi ſumus.

(*b*) Nummiſma eſt ovalis figuræ, encauſto albo pictum auro circumfuſum: Adverſa pars cruci affixum Servatorem noſtrum refert in colle, ad cujus pedes geminæ calvariæ, & e longinquo caſtrum apparet. In adverſa vero parte initiales literæ nominum AUGG. FRANCISCI & MARIÆ THERESIÆ, decuſſatis lauri ramis incumbunt, imminente diademate cæſareo. Subtus dies & annus obitus Cæſaris viſitur: XVIII. AUGuſti MDCCLXV. Nummisma claudit periphraſis: M. THERESIA AUGuſta IN. MEMORiam SPONSI OPTimi. CAPitulum Hoc FUNDavit. Hæc de Nummismate ad poſterorum memoriam. Vixit porro Cæſar FRANCISCUS I. annos LVI. Menſes VIII. Dies X. Præfuit Lotharingiæ & Baro Annos VII. Menſes IX. Hetruriæ An. XXVIII. Imperio Germanico An. XIX. Menſ. XI. Dies XVI.

magno ſumtu, & pietate præſtitiſſet. Atque hunc habuit exitum FRANCISCUS Lotharingiæ, & Bari Dux, mox Magnus Hetruriæ Dux, ac denique Romanorum Imperator ſemper Auguſtus: Ut intelligas neque ſummos terræ Principes a morte eximios eſſe. Jacturam tantam explevit, lectiſſima prolium Auguſtarum Corona, de quibus inferius acturi ſumus. Ex his JOSEPHUM II. ſibi Auguſtæque Matri ſimillimum in imperio; PETRUM LEOPOLDUM in Magno Ducatu Hetruriæ ſucceſſores habuit, quos ſuperi diutiſſime ſervent incolumes.

---

# CAPUT III.

## *De Guntrami Cognomento Divitis Comitis Altenburgi Poſteris Habsburgo-Auſtriacis Principibus.*

### §. I.

GUNTRAMUM *Divitem* HUGONIS I. *Feretarum Comitis fuiſſe filium ſtabilitur. Vitæ S. Deicolæ; uti & Genealogiæ Murenſis Monaſterii auctoritas breviter adſeritur.*

Quoniam ex ETHICONE I. Alemanniæ Duce per Filium ETHICONEM II. ac ſubinde per HUGONEM I. Feretarum Comitem Lotharingicam ſtirpem propagatam fuiſſe poſt diligentiſſimum clariſſimorum ſcriptorum examen, ita demonſtratum eſt, ut nemo id hodie in dubium revocet, ſeriem genealogicam Ducum Lotharingiæ inde ab ETHICONE I. uſque ad FRANCISCUM III. Lotharingiæ & Bari Ducem, Romanorum Imperatorem ſecuro pede paulo prius pertexuimus; Aliter aliquantum ſe res habet cum Habsburgicis: quos etſi ETHICONIS I. Alemanniæ Ducis poſteros nemo diffiteatur, ſunt tamen, qui Doctiſſ. P. Marquardi Hergott ex ordine S. Benedicti, (*a*) auctoritate inducti, negent eos ex HUGONE I. Feretarum Comite deſcendere: iſtud itaque hic breviter ſtabiliendum eſt; priuſquam ad texendam ſeriem genealogicam progrediamur. HUGONEM I. Feretarum Comitem ex ETHICONIS I. Alemanniæ Ducis poſteris fuiſſe, dudum jam ante demonſtratum fuit, ut adeo ſupervacaneum foret ad id comprobandum huc argumenta congerere. HUGONI huic ex conjuge Hildegarde tres fuiſſe filios: EBERHARDUM Alſatiæ Comitem, HUGONEM II. Comitem de Egensheim, & Dasburg, ac denique GUNTRAMUM Altenburgi, & Vindoniſſæ Comitem, teſtis eſt eorum temporum æqualis ſcriptor vitæ S. Deicolæ Abbatis Lutrenſis. Juvat huc ad

(*a*) Genealog. Diplom. Aug. Gentis Habsburgicæ Tom. I. Lib. II.

ad fidem faciendam ſcriptoris narrationem referre: Lotharius Rex cum in Alſatia degeret, repudiata legitima conjuge Bereſinde, Walderatam, ſeu Valdradem thoro induxit, eidemque petenti Abbatiam Lutrenſem tradidit. Hæc Eccleſiaſticarum poenarum ob eam uſurpationem metu correpta, ſe ſe ad Divi Romarici monaſterium recepit, ſimulatam actura pœnitentiam; ſed non multo poſt dimiſſa bona recuperatura, EBERHARDUM Alſatiæ Comitem virum militari fortitudine id temporis clariſſimum evocat, eidemque ſuo nomine ADVOCATIAM ut vocant dictæ Abbatiæ confert. EBERHARDUS nil cunctatus, vi adhibita monaſterium Lutrenſe ſui juris fecit, atque ad obitum uſque retinuit. HUGO I. Feretarum Comes, EBERHARDI Filius hæreditatis opimæ cupiditate illectus, ejusdem ſacri loci poſſeſſionem aliquandiu uſurpavit. At poſtquam tres filii, quos ex Hildegarde ſuſceperat, puta EBERHARDUS, HUGO II. & GUNTRAMUS ſubita membrorum contractione, atque continua vertigine laborare ceperant, Divinæ id Nemeſi adſcribens, pœnitentiaque ductus, ad Divi Deicolæ tumulum una cum filiis venit, factoque voto, nil deinceps ex Abbatiæ bonis uſurpandi, priſtinam filiis ſanitatem recuperavit. (a) Ex brevi hac narratione tenemus EBERHARDUM HUGONIS I. Parentem, atque hujus ex Hildegarde tres filios EBERHARDUM Lotharingicæ Stirpis ſatorem, HUGONEM II., & GUNTRAMUM, a quo Habsburgicos eſſe prognatos, probemus oportet. (b) Itaque GUNTRAMUM HUGONIS I. Filium eſſe certum eſt. Porro a GUNTRAMO cognomento divite Altenburgi, & Vindoniſſæ Comite Habsburgicos Principes ad RUDOLPHUM uſque I. Rom. Imperatorem deducunt Acta Murenſis Monaſterii, (c) cujus fundator fuit Vernerus Epiſcopus Argentinenſis caſtri Habsburg conditor, nepos Guntrami Comitis ex filio LANDZELINO. Itaque ſi GUNTRAMUM HUGONIS I. filium eundem eſſe oſtenderimus cum



(a) Narratio ipſa, ut apud Bollandiſtas ad Diem XVII. Jan. Cap. VII. VIII. & IX. recenſetur, ſic habet, „ Audiens autem Waldera- „ ta fœmina nequiſſima omnia, quæ audierant in „ via Romana timore venerabilis Reginæ — — „ monaſterium S. Romarici Hypocrita intra- „ vit — — — cumque ibi aliquandiu velo po- „ tius, quam corde converſaretur, poſt tergum „ reſpiciens, doluit, locum S. Deicoli ſi- „ bi penitus auferri — — — accitoque Eber- „ hardo Comite, conſanguinitatis occaſione „ — — — locum ſanctum ſub advocationis tui- „ tione comiſit — — — *Et* Comes quidam „ bellipotens de Alſatiæ partibus nomine Eber- „ hardus — — — potenter locum illum inva- „ ſit — — — omni tempore quo poſt vixit, „ manu tyrannica contra fas retinuit — — — „ Eadem nocte tres filii ejus nempe HUGONIS, „ quorum primogenitus EBERHARDUS erat, Secun- „ dus Hugo tertius GUNTRAMUS habebatur, cum „ — — — evigilaſſent ad exercitium venandi, „ ſemet ipſos invenerunt diſſimiles ſibi. Vide- „ res certe viros conſulares adeo contractos, „ & imbecilles, ut putares eos, genuino more „ omnium membrorum impotes, & totius vale- „ tudinis enervos — — denique Cap. IX. Hil- „ degardis namque comitiſſa ejuſdem Hugonis „ conjux &c.

(b) In memoriam hic revocari oportet ea, quæ Excellentiſſimus, ac doctiſſimus Auctor Capite primo & ſpeciatim §. V. recenſet.

(c) Lege Vindicias Actor. Murenſium. a P. Fridolino Kopp. Mon. Murenſi O. S. B. edit. A. 1750.

Guntramo Divite Altenburgi, & Vindoniſſæ Comite, dubium omne evaneſcet. Ita porro rem eſſe ſuadet imprimis ætas utriusque GUNTRAMI: uterque enim ſub medium ſeculi X. vixiſſe ſtatuitur: ſuadet ſitus, & propinquitas ditionum, quas ſeu GUNTRAMUS, ſeu EBERHARDUS frater poſſediſſe traduntur, ut vel Patris Hugonis Alſatiæ & Feretarum Comitis hæreditates vel certe jure conjugis e vicinia ductæ aquiſitæ credi poſſint. EBERHARDUS natu maximus HUGONI PATRI in Alſatia ſucceſſit. GUNTRAMUS in vicina Helvetia Altenburgum Argoviæ, & Vindoniſſam tenuit. Huc denique facit clariſſimorum virorum, ac nominatim doctiſſimi Calmeti ex ordine D. Benedicti & Eccardi auctoritas, qui GUNTRAMUM DIVITEM HUGONIS I. filium uno ore confitentur. Neque obſtat, quod Cl. P. Hergott neget GUNTRAMUM noſtrum DIVITIS appellationem conſequi potuiſſe, propterea, quod filiorum natu minimus fuerit, ac inſuper ab Ottone Magno Germaniæ Rege, ob initam adverſus ſe conjurationem, pluribus ditionibus multatus ſit. Primum leve eſt: novimus enim necdum ea ætate primogenitorum jura fuiſſe ſtabilita, ac idcirco hæreditates inter filios, & filias ex æquo dividi conſueviſſe: At demus GUNTRAMUM minus ceteris accepiſſe fratribus; an non aut pinguiore connubio, aut, ut ea ferebat ætas, armis opes augere poterat? Neque alterum tanti eſt, ut geminos ea propter facere cogamur GUNTRAMOS; ad DIVITIS enim appellationem obtinendam ſatis fuit, ante ditionum ſpoliationem opibus affluxiſſe; imo vero opulentum, viribusque potentem fuiſſe oportet GUNTRAMUM noſtrum, qui in Ottonem Magnum Cæſarem inſurgere, cum eodemque armis decertare auſus fuerit. Poſt dictam bonorum publicationem, quæ circa A. 939. accidit, cum GUNTRAMUS noſter vitam ad A. 946. adduxerit, credibile eſt, eum res amiſſas recuperaſſe ab Ottone Magno, quem ſcriptores a pietate, clementia, & æquitate commendant. Atque hæc ſunt, quæ obſtant, quo minus ſingulari Cl. P. Hergott opinioni aſſentiamur, duosque GUNTRAMOS ſtatuamus. Quodſi autem GUNTRAMUS HUGONIS I. Alſatiæ, & Feretarum Comitis filius idem fuit cum GUNTRAMO DIVITE Altenburgi, & Vindoniſſæ Comite, pronum eſt, Habsburgicos ab ETTICONE I. Alemanniæ Duce per HUGONEM I. ejusque filium GUNTRAMUM propagatos exiſtimare, ſi modo & ſcriptori vitæ S. Deicolæ, & Genealogiæ Murenſis Monaſterii ſua conſtet fides. Quis autem hæc in dubium revocet? Auctor vitæ S. Deicolæ Abb. erat Lutrenſis Cænobii Monachus, floruitque temporibus Ottonis M. Cæſaris, ut adeo pro eorum temporum æquali teſteque fide digno haberi merito poſſit, talis certe apud præſtantiſſimos ſcriptores audit. Etſi autem admiſerimus nonnulla eum in rerum narratione ambigua falſaque, ſed quæ levia ſunt, referendo lapſum fuiſſe; quis tamen exiſtimet factum tam ſingulare, atque ipſa Hugonis, & filiorum nomina, quæ ad rem plurimum faciunt, ingenio

ſuo

ſuo confingere, literisque mandare auſurum fuiſſe? idque pro vero tradere voluiſſe: de cujus falſitate ab oculatis teſtibus convinci poterat? Quodſi ejuscemodi veterum teſtimonia, quia ſententiæ noſtræ non favent, rejicienda putaverimus, eodem jure tot monumentis aliis, quæ antiquitatis memoriam ad nos propagarunt, fides abroganda erit. Murenſis Monaſterii Genealogiæ Habsburgicæ pariter ſua conſtat fides, & auctoritas, a diligentiſſimis ſcriptoribus Guillimanno (*a*) Vignierio (*b*) Blondello (*c*) Bucellino (*d*) atque Theodoro Godefrido (*e*) etſi hic aliquantum diſſentiat in Parente Verneri III., multis argumentis aſſerta. Conſentiunt Genealogiæ huic: Imhofius (*f*) Gebvilerus (*g*) Olivierus Archiducis Auſtriæ Philippi Aulæ præfectus (*h*) Stumpfius (*i*) Obrechtius (*k*) paſſimque alii omnes cum doctiſſimis Calmeto, & Hergottio. Et quidni conſentiant? cum enim Murenſe monaſterium A. 1018. a Vernero Guntrami nepote conditum fuerit, indubium eſt acta Murenſia, ipſamque Habsburgicorum genealogiam ex fundationalibus literis, Ephemeridibus, aliisque monumentis concinnata fuiſſe. (*l*) Quæ

ſi

(*a*) De vera origine Domus Auſtriacæ Lib. 3. 4. & ſeq.

(*b*) Veritable origine des Maiſons d'Alſace de Lorraine, d'Autriche & de Bade edit. Pariſ. pag. 103.

(*c*) GenealogiæFranc. plenior aſſertio pag. 370.

(*d*) Genealog. German. Notitia pag. 26.

(*e*) Libro de la vraie Origine de la Maiſon d'Autriche.

(*f*) Notitia procerum Imperii Cap. 5.

(*g*) Panegyris Carolina pag. 43.

(*h*) Memoire de la Marche pag. 8.

(*i*) Chronic de la Suiſſe. Lib. IV. Cap. 8. & 30. Lib. 7. Cap. 12.

(*k*) Prodromus Rerum Alſaticarum. Lib. I. C. 12.

(*l*) Juvat huc Genealogiam Habsburgicam ex actis Murenſibus ad verbum exſcribere; ſic autem habet „Guntramus Comes de Altenbourg
„ cognomine Dives genuit Landzelinum Comitem
„ de Altenburg. Landzelinus genuit Rudol-
„ phum, Radebotonem, Vernerum Epiſcopum
„ Argentinenſem, & Landzelinum Juniorem.
„ Vernerus autem Epiſcopus Cænobium noſtrum
„ Murenſe conſtruxit Anno Domini 1018. Is
„ a Conrado Imperatore Anno Domini 1027.
„ Conſtantinopolim miſſus, ibidem Anno D.
„ 1029. diem clauſit extremum. Radoboto
„ vero frater Verneri Epiſcopi duxit Uxorem
„ Ittam Theodorici Ducis Lotharingiæ germa-
„ nam & Cunonis Comitis de Rhinfelden Uteri-
„ nam ſororem, Genuit autem Theodoricus Dux
„ Lotharingiæ Gerardum ducem, ille vero
„ genuit Gerardum Comitem de Egisheim Pa-
„ trem Udalrici, & Stephani: Cuno Comes de
„ Rhinfelden genuit Rudolphum Regem, &
„ ille genuit Agnetem Matrem Conradi Ducis
„ de Zeringen. Radoboto vero comes de
„ Altenburg genuit ex Itta Duciſſa Conjuge
„ Ottonem, Adelbertum, & Vernherum jam
„ Comites de Habesburg nuncupatos, & Ri-
„ chenſam Uxorem Comitis Udalrici de Lentz-
„ burg. Otto vero Comes prædictus occiditur
„ ab Erinliebo Milite, ſepelitur Argentinæ ante
„ Altare Sancti Laurentii. Adelbertus Frater
„ ejus obiit A. D. 1075. Sepultus in monaſterio
„ noſtro Murenſi ambo ſine liberis decedentes.
„ Kal. Auguſti obiit Itta Comitiſſa Uxor Comi-
„ tis Radebotonis de Vindoniſſa. Vernerus
„ vero alter frater illorum duxit Regelindam Co-
„ mitiſſam Uxorem. Is Baſilicam noſtram Mu-
„ renſem conſecrare fecit A. D. 1064. obiit
„ vero III. idus Novembris A. D. 1096. ſepul-
„ tus in cænobio, reliquit filios: Ottonem,
„ & Adelbertum, & Ittam Uxorem Comitis
„ Rudolphi de Tierſtein, Adelbertus, cujus
„ uxor Judenta, non genuit filios. Otto vero
„ genuit ex Hylla Comitiſſa de Pfirt, Verne-
„ rum Comitem, & Adelheidam Uxorem Comi-

„tis

ſi ita ſunt, ſtat adhuc Habsburgicos ex Ethicone I. Alemanniæ Duce per Guntramum Divitem Altenburgi, & Vindoniſſæ Comitem, Hugonis I. filium natu minimum deduci oportere, quod mox facturi ſumus.

## §. II.

*Series Genealogica Stirpis Habsburgicæ inde a* Guntramo *Divite, uſque ad* Rudolphum *Comitem Habsburgi hujus nominis I. Rom. Imperatorem.*

Inter Ethiconis I. Alemanniæ Ducis poſteros, quos Cap. II. §. I. recenſuimus, fuit Hugo I. Alſatiæ & Feretarum Comes, Habsburgicæ non minus, quam Lotharingicæ Stirpis parens feliciſſimus, genuerat is ex Hildegarde conjuge tres filios: Eberhardum. Hugonem, & Guntramum. Primi poſteritatem priore capite Deo juvante abſolvimus. Alterius Stirps Comitum de Egensheim non multo poſt defecit penitus. Guntramus tertio genitus, cognomento Dives Altenburgi & Vindoniſſæ Comes, Habsburgicæ familiæ initium dedit. Ferunt hunc cum Eberhardo Franconiæ & Giſelberto Lotharingiæ Ducibus, aliisque Germaniæ Principibus in Ottonem M. Imperatorem conjuraſſe, ingenti ſuo damno; cæſis enim A. 939. conjuratorum copiis, Eberhardo Rheni undis hauſto, Giſelberto autem telis confoſſo, victoria potitus Otto, Guntramum noſtrum pluribus ditionibus mulctavit, id quod cl. Eccardus e geminis Diplomatibus conficit, quæ a Christophoro Hartmanno in Annalibus Enſiedelenſibus vulgata ſunt.

„ tis de Houvenborg, & Fricca. Præfatus Co-
„ mes Otto occiditur VI. idus Novemb. ab He-
„ ſone Nobili de Uſemberg Anno Domini 1110.
„ Vernerus Comes Ottonis & Hyllæ filius
„ genuit Vernerum & Rudolphum ex Itta
„ Comitiſſa de Homberg Conjuge, quorum Ru-
„ dolphus obiit Anno Domini 1142. ſine prole.
„ Vernerus de Habsburg Comes ex Itta de
„ Homberg genitus genuit ex Domina de Staren-
„ kemberg Uxore Adelbertum, & Richen-
„ ſam Conjugem Comitis de Fieritto, & Ger-
„ trudem Comiti de Montpelgard nuptam. Obiit
„ Vernerus A. D. 1159. ſepultus in Monaſterio
„ noſtro. Adelbertus Comes de Habsburg
„ Verneri filius genuit ex Itta Comitiſſa de Speul-
„ lendorf, Rudolphum Landgravium Alſa-
„ ſatiæ, & Idam Comitiſſam de Liningen. Ru-
„ dolphus Landgravius Adelberti & Ittæ filius
„ genuit, ex Agneſa filia Godefridi Comitis de
„ Stouffen, quod ex inter Wormatiam, & Spi-
„ ram, Albertum Landgravium, & Rudol-
„ phum Comitem de Habsburg, & Heluigam
„ Uxorem Hermani Comitis de Froburg, &
„ Gertrudem Uxorem Comitis Ludovici Comi-
„ tis de Froburg, fratris Hermani, & Verne-
„ rum Comitem de Habsburg, qui ſine liberis
„ deceſſit. Albertus Landgravius Alſatiæ ge-
„ nuit ex Hellwiga Comitiſſa de Kyburg Rudol-
„ phum Romanorum Regem, Albertum Canonicum
„ Baſileenſem, & Strasburgenſem, & Hartmannum,
„ qui ſine liberis deceſſit. Rudolphus vero Comes
„ de Habsburg, & Dominus in Louffenberg &
„ Cletgoeuve Frater prædicti Alberti Landgra-
„ vii genuit ex Gertruda nobili de Regensberg
„ Godefridum, Vernerum, Ottonem, Eberhar-
„ dum, & Rudolphum Epiſcopum Conſtantien-
„ ſem. Hactenus *Origo & Genealogia Comitum*
„ *Habsburgicorum.* Ceterum hæc genealogia confundi non debet cum erronea quadam altera, quæ nonniſi maternum genus Auſtriacorum Principum ad Habsburgicos refert; paternum vero a Comitibus Thierſteiniis repetit; id quod aperte falſum eſt.

ſunt. Ea bonorum publicatio, ut ſuperius innuimus, nil obſtare videtur, quo minus GUNTRAMO DIVITIS appellatio tribui potuerit. Duas ei conjuges aſſignant LAZIUS, EIZINGERUS, HERZOGIUS & de Roo cum pleriſque recentioribus, Primam quidem Brigantinam ex Montfortibus; alteram vero Ittam Adalberonis de Calve filiam: Blondellus ex adverſo aſſerit, eum in Matrimonio habuiſſe ſororem Landolai Archiepiſcopi, & Comitis Vindoniſſæ. Obiit GUNTRAMUS A. 946., relicto filio LANCELLINO, quem alii Landoldum; Acta autem Murenſia LANDZELINUM appellant. Sunt, qui præter hunc, alium inſuper GUNTRAMO filium tribuunt BIRCHTILONEM, a quo Duces Zeringæ, Techæ, Marchionesque Badenſes propagatos aſſerunt. LANCELLINUS Altenburgi Comes obiit A. 990. relictis ex Luitgarde IV. Filiis: I. RADEBOTO, aliis Rabotho, Altenburgi & Vindoniſſæ Comes, de quo mox. II. WERNERUS I. Epiſcopus Argentinenſis, qui præter Murenſe Monaſterium, celeberrimum caſtrum HABESBURG poſtea HABSBURG dictum ſuo ſumptu erexit, in editiore ſupra Altenburgum Colle, quem Wildsberg vulgo appellant, originemque dedit novæ appellationi, quam ejus ſucceſſores a dicto Caſtro adoptarunt, obiit autem A. 1029. III. RUDOLPHUS I. Fundator Othmarsheimienſis ſacrarum virginum Cænobii. IV. LANCELLINUS, qui primus, credo poſt Verneri fratris obitum, comitis de Habsburg titulo uſus fuit. Ceteris fratribus ſine ſobole ſublatis, RADEBOTO Altenburgi & Vindoniſſæ Comes ex conjuge Itta, Gerardi I. Lotharingorum Ducis filia genuit OTTONEM I. ALBERTUM I. aliis Adalbertum, & VERNERUM II. obiitque A. 1026. (a) priores duo improles deceſſerunt; VERNERUS autem II. quem etiam Vernharium nominant, Habsburgi, Altenburgi, & Vindoniſſæ Comes, ex Regulinda, aut Regidinda, quæ Boghardi Landgravii Nellenburgenſis filia erat, genuit præter Ittam, Rudolpho de Tierſtein traditam (b) ALBERTUM II. ſeu Adalbertum: qui una cum conjuge Judenta improlis deceſſit, & OTTONEM II. obiitque A. 1096. OTTO II. Habsburgi Comes Landgravius Alſatiæ duxit Hyllam filiam Comitis de Pfirth ſeu Feretarum, denatus A. 1110. relicta filia Adelheide nupta Emiconi de Hunnenburg, & duobus filiis: horum alter OTTO Conſtantienſis Epiſ-

(a) De Radebotonis obitu hæc referunt Acta Murenſia: *Mortuo Comite Radeboto, ejus Corpus tranſlatum eſt huc, ac ſepultum ante Altare S. Crucis. Poſt ejus obitum filius ejus Otto & Albertus, & Vernharius diviſerunt ſibi locum iſtum prout eis placuerat.*

(b) Graviter hic lapſus fuit Theodorus Godefridus in Libro *de la Vraie Origine de la Maiſon d'Autriche*, cum ſuis ſequacibus, qui vitioſa quadam genealogia decepti, ſtatuerunt in Vernero II. Stirpem Habsburgicam defeciſſe, ac idcirco per Ittam filiam hæredem unicam Habsburgum, Altenburgum & cet. ad Rudolphum de Tierſtein Maritum tranſiiſſe, ſicque hunc novæ Stirpis Habsburgicæ Patrem evaſiſſe. Sed hunc errorem, & genuina Murenſis genealogia, & præſtantiſſimi ſcriptores confutarunt.

Epiſcopus vixit Anno 1169. alter autem Vernerus III. Habsburgi Comes Landgravius Alſatiæ produxit vitam ad A. 1143. genuitque ex Itta Comitiſſa de Homberg Vernerum IV. Habsburgi Comitem Landgravium Alſatiæ (*a*) & Rudolphum II., hic ſine ſobole A. 1147. deceſſit; ille vero 1159. poſtquam ex Gertrude de Starkenberg genuiſſet Albertum III. ſive Adalbertum, tum Richenſam Joanni Feretarum, & Gertrudem Theodorico montis Belgardi Comitibus nuptui datas. Albertus III. Habsburgi Comes Landgravius Alſatiæ obiit A. 1199. relictis ex Itta Comitiſſa de Speulendorf geminis prolibus: Filia Ida nupſit Comiti de Leiningen: Filius vero Rudolphus III. Habsburgi Comes, Landgravius Alſatiæ, matrimonio ſibi junxit Agneſam Godefridi comitis de Stouffen filiam, trium filiorum & duarum filiarum Matrem, deceſſit ille A. 1232. proles autem fuere ſequentes: I. Albertus IV. ſive Adalbertus, de quo mox. II. Vernerus V. ſine ſobole extinctus. III. Rudolphus IV. cognomento taciturnus, duarum ejusdem familiæ linearum parens, videlicet Habsburgo-Lauffenburgenſis, & Habsburgo-Kyburgenſis. Filiarum utraque Helviga & Gertrudis geminis fratribus Comitibus de Froburg; Illa quidem Hermanno: hæc autem Ludovico nuptui collocatæ ſunt. Albertus IV. dictus ſapiens Habsburgi Comes, Alſatiæque Landgravius, & religionis ſtudio, & militaris gloriæ ardore ſuccenſus in Palæſtinam trajecit: ubi cum multa fortitudinis & prudentiæ ſuæ edidiſſet ſpecimina, vitam poſuit A. 1240. conjugem habuit Helwigem filiam Ulrici Comitis Kyburgenſis, quæ ut alias proles ſine ſobole extinctas ſilentio prætereaam, Mater fuit Magni illius Rudolphi Comitis Habsburgici, qui non modo primus Imperatoriam dignitatem religione, virtuteque ſua conſecutus eſt, verum etiam familiæ multo ampliſſimæ initium dedit; quæ ſubinde ad ſummum humanæ potentiæ faſtigium evecta, præcipuis Europæ populis imperavit, totque Heroes, Reges, Imperatoresque protulit, nulla ut Principum Domus cum ejus ſplendore majeſtateque in contentionem venire potuerit. Ab hoc igitur lætiore jam calamo Habsburgo-Auſtriacam genealogiam ordiemur.

## §. III.

Rudolphi V. *Comitis de Habsburg hujus nominis I. Romanorum Imperatoris res geſtæ, conjuges, & liberi.*

Rudolphus I. Romanorum Imperator primam lucem aſpexit A. 1218. Calendis Maii, & quidem in gentilitio ſuo Caſtro Limburg, quod in Brisgoia ſitum

(*a*) Nonnulli excluſo Vernero IV. filium Verneri III. faciunt Albertum II. nos in hoc Murenſia acta, aliosque plures ſecuti ſumus.

# GENEALOGIÆ AUGUSTÆ DOMUS HABSBURGO - LOTHARINGICÆ.

Tab. V. ad pag. 50.

Hugo Comes Alſatiæ.
Uxor Hildegardis.

Eberhardus IV. Comes Alſatiæ
Pater Ducum Lotharingiæ.
*Vide* Tab. I.

Hugo II.
Pater Stirpis Dagsburg.

Guntramus cognomento Dives Com. Altenburgi & Vindoniſſæ. † 946.
Uxor I. Frigantina de Montfort.
II. Itta Adalber. Calv. filia.

Lanzelinus ſeu Lancellinus I. Comes Altenburg. † 990.
Luitgardis.

Radebotho Comes Altenb. & Vindoniſſæ † 1026.
Itta Gerardi Loth. Ducis filia.

Vernerus I. Epiſcop. Argentin.
Murenſis Monaſt. 1018. & Caſtri
Habsburg. Fundator. † 1029.

Rudolphus I. Comes.
Othmarsheim. Aſce-
terii VV. fundator.

Lancellinus II. Comes de Habsburg.

Otto I. Com. Habsb.

Adalbertus ſeu Albertus I. Com. Habsb. † 1075.

Vernerus II. Comes Habsburgi † 1096.
Regelinda fil. Boghardi Landgrav. Nellenburg.

Richenſa
Udalricus Com. de Lentzburg.

Otto II. Com. Habsb. † 1110.
Hylla Comitiſſa Ferrete.

Albertus II.
Judenta.

Itta
Rudolphus Com. Tierſtein.

Vernerus III. Com. Habsburg. † 1143.
Itta Comitiſſa de Homberg.

Adelheis
Comes de Houvembourg.

Otto Epiſcopus
Conſtantienſis.

Vernerus IV. Com. Habsburg. † 1159.
Gertrudis C. de Starkenberg.

Rudolphus II. Com. Habsb. † 1147.

Albertus III. Com. de Habsburg. † 1199.
Itta Com. de Speulendorf.

Richenſa
Joannes Com. Ferete.

Gertrudis
Theodoricus Com. Montbelgard.

Rudolphus III. Com. Habsburg. † 1232.
Agnes Com. de Stouffen.

Ida
Comes de Leiningen.

Albertus IV. Com. Habsburg Sapiens † 1240.
Helviga Comitiſſa Friburg.

Vernerus V.

Rudolphus IV. de Lauffenburg.
Gertrudis C. de Regensberg.

Helviga
Hermannus C. de Froburg.

Gertrudis
Ludovicus C. de Froburg.

Rudolphus V. Com. Habsburg.
I. hujus Nominis Rom. Imp.
Vide Tab. VI.

Albertus
Canon. Baſile.

Hartmannus.

Godefridus.

Vernerus.

Otto.

Eberhardus.

Rudolphus Epiſcopus
Conſtantienſis.

ſitum fuiſſe ad Rheni ripam e regione Oppidi Marcklesen, Vogesum, verſus occidentem, extantia adhuc ibidem rudera oſtentant: quodque fauſtiſſimi ominis inſtar eſſe poterat, a Friderico II. Imperatore, tum forte Briſſaci commorante, e ſacro fonte levatus fuit. (*a*) „ Exactis Domi teſte Gerardo de „ Roo primæ pueritiæ annis, a Patre in Aulam Imperatoris Friderici II. miſ„ ſus, inter æquales magna animi indole excelluit, cumque primum per ætatem „ arma ferre potuit, omnibus, quæ Friderico fuere bellis exercitus, eam de „ ſe æſtimationem dedit, uti quotieſcunque cæſarem adiret, reliqui militaris or„ dinis proceres illi quamvis juniori aſſurgerent. Certe valuiſſe Rudolphum noſtrum gratia apud Fridericum II., frequentemque in ejus Aula fuiſſe, fidem faciunt plura diplomata Cæſaris, quibus ut teſtis ſubſcriptus legitur. Nuncio de obitu Parentis Alberti A. 1240. accepto, Rudolphus ad ſuos reverſus, conjugio ſibi illigavit Annam Gertrudem filiam Burchardi Comitis de Hohenberg, & Haigerloch plurium liberorum matrem, quas inferius recenſebimus: Qua ſubinde Viennæ Auſtriæ A. 1281. die 16. Februarii demortua, Baſileæque ſepulta (*b*) alteram duxit Eliſabetham, vel ut alii volunt, Agnetem Hugonis Burgundiæ Comitis Filiam A. 1284. de cujus obitu & prolibus nuſpiam conſtat. Quam fauſto autem omine pro ejus ætatis more a Friderico II. militiæ cingulo donatus (*c*) equeſtrem dignitatem conſecutus fuerit Rudolphus, innumera bella, quæ inde a juventute ſua per omnem vitam non ſine ſui nominis gloria & fortunarum acceſſione geſſit, abunde teſtantur. Certe priuſquam ad Imperii dignitatem evocaretur, decies quater variis de hoſtibus triumphavit. Et vero ſcientia, virtuteque militari inſigniter inſtructum eſſe oportuit Rudolphum noſtrum, ut funeſti illius interregni, quod a morte Friderici II. tres, & viginti annos tenuit, tempore, quo nemine mala prohibente, mutuis in ſe cædibus, rapinis, & direptionibus potentiſſimi quique deſæviebant, hoſtes a ditionibus ſuis propulſaret. Is

 quidem

(*a*) Hunc annum diem & locum Nativitatis ſtabilit Celſiſſimus S. R. I. Princeps Martinus Gerbertus Ord. S. Benedict. Abbas ad S. Blaſium in Sylva nigra Cap. II. Faſtorum Rudolphinorum, quos præmittit Codici Epiſt. Rudolphi I. edit. Typis San. Blaſianis A. MDCCLXXII. Ibidem cernere licet typum Arcis Limburg pag. I.

(*b*) Annæ Gertrudis Rudolphi conjugis pluriumque ex Habsburgica domo Principum utriuſque Sexus oſſa, quæ Baſileæ ac Königsveldæ in Helvetia hodie proteſtantica hucuſque quieverunt, Auguſta MARIA THERESIA annuente, in novam Monaſterii ad S. Blaſium in Silva nigra Criptam tranſtulit Anno 1770. die XV. Octobris decentiuſque tumulavit, ſingularis in Auguſtos Habsburgicorum Cineres pietas Celſiſſimi S. R. I. Principis locique ejuſdem Abbatis meritiſſimi. Conſule dicti Principis *tractatum de Translatis Habsburgo-Auſtriacorum Principum eorumque conjugum Cadaveribus* Typis San. Blaſianis an. cit. Item ejuſdem Taphographiam Principum Auſtriæ edit. An. 1772. ibidem.

(*c*) De Equitum creandorum more, ac uſitatis ritibus conſule cl. Muratorium in Antiquit. Italiæ Tom. IV. Diſſert. LIII. de Inſtit. Militum.

quidem in communi illa perturbatione non modo res ſuas egregie adverſus vim omnem tutatus eſt; verum etiam iis qui inſurgere auſi erant, deviſtis, pluribus ditionum acceſſionibus patrimonia ſua locupletavit. Primum bellum geſſit A. 1242. cum Hugone a Tieffenſtein, cujus etiam victi & cæſi Caſtro latifundiiſque potitus eſt. Proxima ei res fuit cum agnatis Habsburgo-Lauffenburgicis; ſed lis hæc amicorum interceſſione, brevi finem accepit. Tertium arma corripuit in Avunculum ſuum Hartmannum Comitem de Kyburg, idque propterea; quod Hartmannus maſcula prole carens, præterito Rudolpho, ſuo ex ſorore Helwige nepote, avitas ditiones ſuas Walthero Epiſcopo Argentinenſi transſcripſerit. Has Rudolphus armorum vi ſibi vindicavit, ſecutaque brevi Avunculi ſui morte, penitus in ſuam ditionem redegit (*a*). Longum foret, ſi bella cætera ante aditum Imperium cum Udalrico Regensbergico, cum comitibus Toggenburgicis, Baſileenſique Epiſcopo glorioſe geſta recenſere vellemus. Horum ſucceſſuum fama, cum univerſam Germaniam, inteſtinis tum motibus laborantem, pervaſiſſet, aptiſſimus bonis omnibus viſus fuit Rudolphus, cujus prudentiæ, fortitudinique ſupremam Imperii Romani dignitatem conſignarent. Quapropter cum urgente Gregorio X. Pontifice ad electionem Romanorum Regis Francofurtum conveniſſent Imperii Ordines A. 1273. communibus ſuffragiis III. Calendas Octobris die D. Michaeli ſacro Rudolphum Comitem de Habsburg Romanorum Regem crearunt. Præcipuas in promovendo ad eam dignitatem partes tribuunt ſcriptores Vernero Archiepiſcopo Moguntino, quem ſingulari beneficio ſibi ille olim devinxerat, cum Romam eunti redeuntique delectam militum manum cuſtodiæ cauſa dedit, quæ dictum præſulem adverſus infeſtos ubivis tunc latrones tueretur. Multum etiam huc contulit Engelbertus Colonienſis Antiſtes, Fridericus Burggravius Norimbergenſis, Meinhardus IV. Goritiæ, & Tyrolis Comes, ac denique Ludovicus II. Palatinus Rheni, unico electioni huic obſiſtente Ottocaro Bohemiæ Rege. Geſta porro hæc ſunt abſente, Baſileamque tum oppugnante Rudolpho. „ Quapropter ut Gerardus de Roo narrat, Rudolpho nil tale cogi-
„ tanti nuncium in caſtra primum adfert Henricus Pappenheimenſis Mareſchallus,
„ ut vocant, Imperii, cui & Exulibus quibusdam Baſileenſibus gratulabundis,
„ cum vix haberetur fides; ſequenti nocte venit Burggravius Norimbergenſis
„ Diploma Principum & Electionis decretum adferens. „ Quæ cum intellexiſſet Rudolphus, vehementem lætitiæ intimæ ſenſum adeo non diſſimulavit, ut eum vultu, voce, manibusque ſignificaret, & quidni ſincera voluptate perfunderetur,

animo

(*a*) Albertus Argentinenſis apud Urſtiſcum Script. Rer. German. Parte II. recenſet ea, quæ tum in Jura Rudolphi tranſiere, nempe: Kyburg, Vinterthur, Dieſſenhoffen, Baden, Mellingen, Arowe Friburgum Vichtlandiæ & quædam alia &c.

animo reputans, ſe nil tale ominantem ex Habsburgi Comite, illuſtri licet atque potente, ad ſupremam orbis Chriſtiani dignitatem ſublatum eſſe. Vulgata electionis fauſtiſſimæ fama, Baſileenſes repente ex hoſtibus amici, clientesve effecti, inſolita lætitiæ ſigna dedere, primique omnium novo Regi fidem ſuam ſacramento obligarunt. Nec mora: ut univerſæ Germaniæ votis ocyus fieret ſatis, Rudolphus in copiarum ſuarum, queis oppugnationis tempore uſus fuerat, comitatu Moguntiam primum contendit; inde vero illuſtrium virorum Corona ſtipatus, Aquisgranum una cum conjuge Anna Gertrude ſolenni pompa ingreſſus, ab Engelberto Colonienſi Archiepiſcopo ſacra Romana Corona redimitus fuit A. 1273. feſto die SS. Apoſtolorum Simonis, & Judæ, ſeu XXVIII. Octobris menſe integro ab electione evoluto. Conſimilis honor Auguſtæ novi Cæſaris conjugi impenſus. Peracta inauguratione, Rudolphus ſine mora a præſentibus Imperii Principibus abſentiumve legatis fidelitatis Sacramentum ſibi nuncupari poſtulavit; at cum plerique id detrectarent, quod uſitatum in id genus ceremoniis imperii Sceptrum abeſſet; Rudolphus veritus, ne ea tergiverſatio ſibi fraudi eſſet, ut erat prompto ſemper ingenio, conſilium in arena cepit: arrepto Sanctæ Crucis ſimulacro ſic adſtantes allocutus: *Ecce ſignum in quo nos, & totus mundus eſt redemptus, & hoc ſigno utamur loco ſceptri* (*a*). Quibus prolatis ut refert teſtis oculatus Henricus Præpoſitus Oettinganus apud Offelium Tom. I. pag. 687., *deoſculata cruce, omnes Principes, tam ſpirituales, quam ſeculares, ipſam crucem loco ſceptri oſculantes, recipientes feuda, ſibi* Rudolpho, *fidelitatis Juramentum præſtiterunt.* His ex ſententia geſtis, priuſquam Aquisgrano diſceſſum eſt, Rudolphus de conſervanda nova dignitate ſollicitus, arctioribus nexibus ſibi devinciendos putavit potentiores Imperii principes. Itaque adnitente Moguntino Archiepiſcopo Vernero, Mechtildem filiam nuptui tradidit Ludovico Severo (*b*) Palatino; alteram vero Agnetem Alberto Duci Saxoniæ: eodem conſilio, & ſucceſſu in deligendis potentibus generis uſus deinceps etiam fuit Rudolphus, ut cum Hedvigi filiæ Ottonem Marchionem Brandeburgenſem; Catharinæ Ottonem inferioris Bavariæ Ducem; Clementiæ Carolum Martellum Caroli claudi Regis Siciliæ filium, ac denique Guttæ Venceslaum Bohemiæ Regem Ottocari filium; ſed paulo tardius Maritos dedit. Ceterum poſtquam de inauguratione feliciter peracta ru-



(*a*) Gerardus de Roo aliter ea verba refert: *Hoc Signum, in quo humanum genus redemti ſumus, hoc ego ſceptro in omnes mihi & imperio infidos utar.* At vereor, ut Rudolphus eo rerum articulo, quo homagium detrectantes conciliare prudentis erat; id genus comminatione uti potuerit.

(*b*) Severi appellationem obtinuit ab ea ſeveritate, qua priorem conjugem Mariam Brabantinam decollavit, propterea, qnod ob duas epiſtolas ad Duces quosdam, ſe inſcio, ſcriptas, de adulterio ſuſpectam haberet. Mirum ſane, Mechtildem Habsburgicam tam atroci Uxoricidæ nubere auſam fuiſſe.

mor ubique percrebuit, incredibilis gratulatio non in Germania modo; verum in Italia etiam exorta fuit, quam teſtantur tot literæ de hoc argumento datæ (*a*). Omnes nempe confidebant; Rudolphi Cæſaris æquitate, prudentia, atque fortitudine, evulſis perturbationum radicibus, tranquillitatem, & ſecuritatem publicam tot jam annis exultantem poſtliminio revectum iri. Nominatim autem ſimultates illas, quæ ſacerdotium cum Imperio; Cæſares cum Pontificibus, tam funeſto exitu ſæpius colliſerant, ſub Rudolpho demum finem accepturas. Gregorius X. Pontifex non modo ratam eſſe juſſit Rudolphi electionem; verum etiam nil æque in votis habuit, atque ut illum ad accipiendum de manibus ſuis diadema Romam pertraheret; (*b*) verum ille bella, aliasque ex aliis cauſas obtendens conſtanter ſemet ab hoc itinere excuſavit. Suadentibus porro non raro amicis pulchre alludens ad ſimultates eas, quæ tali occaſione Pontifices inter & Cæſares exortæ ſunt, reſpondere ſolebat eo Verſiculo: *Me veſtigia terrent omnia te verſum ſpectantia, nulla retrorſum.* Neque unquam Romam profectus fuit. Altero ab inauguratione ſua anno Rudolphus atrocia Germaniæ vulnera curaturus, comitia Francofurtum primum, tum Norimbergam, ac denique Herbipolim indixit. Vocati eo fuere Ottocarus Rex Bohemiæ, & Henricus Bavariæ Dux, ſed quod neuter Rudolphi electionem ratam habere vellet, nec per ſe, nec per legatos comparuere. Multa nihilominus ad publicam utilitatem his comitiis acta fuere: de cædibus, rapinis, invaſionibusque mutuis per Germaniam tollendis; de iis quæ interregni tempore, vi, atque potentia injuſte ablata, alienataque fuere, legitimis Dominis poſtliminio reſtituendis. Cum autem accuſationes in Ottocarum hominem ultra modum arrogantem magis in dies increſcerent, Rudolphus A. 1275. ad Curiam, ut vocant, celebrandam omnes Imperii ordines Auguſtam evocavit, contumacium pœnis in eos, qui comparere detrectarent, conſtitutis. Advenere quidem eo Henricus Præpoſitus Oettinganus, Henrici Bavariæ Ducis; & Bernardus Seccovienſis Antiſtes Ottocari Bohemiæ Regis Oratores; verum ad oſtentandam potius, quam deponendam audaciam. Rudolphus Cæſar repetebat Auſtriam, Stiriam, Carnioliam & Carinthiam, quod, cum hæ provinciæ feuda eſſent Imperii, deficientibus ex Babenbergica Domo Auſtriæ Ducibus, ſuapte ad Jus Imperii devolutæ fuerint, quasque Ottocarus nullo jure citra ordinum Germaniæ conſenſum occupatas tenebat. Bernardus Seccovienſis Epiſcopus pro Bohemo perorans, multis oſtendere conatus fuit, Ottocarum nil

(*a*) Inſpice Codicem Epiſtolarem Rudolphi I. Imp. a Celſiſſ. Principe Abb. S. Blaſii editum.

(*b*) Flagitaverat id Pontifex Gregorius cum per literas, tum vero coram in colloquio, quod Luſanæ A. 1275. cum Rudolpho I. Cæſare habuit: Ubi editum fuit XII. Calendas Novembris ejusdem anni ſolenne illud Diploma, quo Eccleſiæ Romanæ Privilegia confirmavit Rudolphus, legere illud potes apud Odoricum Raynaldum ad An. cit.

nil contra fas egiſſe, ac Auſtriam quidem dote (*a*), Stiriam bello, Carinthiam, &c. hæreditate pactisque obtinuiſſe, quin eo audaciæ progreſſus fuit, ut mordaciſſimis verbis Rudolphi electionem tanquam *ab execratis de execrato factam* ſugillaret; (*b*) cumque ulterius criminando delatus, Sacram Imperatoris majeſtatem atrocioribus contumeliis laceſſere non deſineret, parum aberat; quin irritatis ea concione majorem in modum aſſidentium animis, Ludovicus Severus Palatinus, ceterique violentas in inhumanum oratorem manus injicerent: Et vero factum id fuiſſet, niſi Rudolphus & ſacri comitiorum loci, & datæ fidei publicæ rationem habendam exiſtimans, auctoritate ſua commotos præſentium animos compoſuiſſet. Qua in re inſignis eluxit Rudolphi virtus, moderatioque Chriſtiana, qui atroci laceſſitus injuria, in ſummo imperio modum tenere noverit. Dimiſſis poſtea contumacium Oratoribus, placuit Cæſari & Ordinibus Imperii, ut Fridericus Zolleranus Burggravius Norimbergenſis, & Henricus Baſileenſis Antiſtes ad Ottocarum Bohemiæ Regem mitterentur, mandata comitiorum exponerent, hortarenturque ad Auſtriam ceteraſque Provincias per vim hactenus poſſeſſas, Imperio reſtituendas. Ubi Ottocarus ex Legatis intellexit, neceſſarium eſſe, ut Rudolpho ceu legitimo Cæſari homagium præſtaret, ac una Auſtriacis ditionibus ſe ſe exueret, incredibili furore percitus, æquiſſimis poſtulatis nil niſi convicia minaſque repoſuit. Cetera inter dixit: Rudolphum indignum eſſe, cui Reges obſequium præſtent; fixum ſibi eſſe, provincias armis conquiſitas, armis & porro tueri. His aliisve ſimilibus reſponſis acceptis Legati Auguſtam reverſi, cum in Pleno Senatu expoſuiſſent, Ottocarum ſuperbe comitiorum mandata explodere, nullaque ratione ad mitiora conſilia flecti poſſe, rogati ſententiam Principes uno ore pronunciarunt: Ottocarum Bohemiæ Regem, ejusque fœderatum Henricum Bavariæ Ducem contumaciæ reos, ditionibus, quæ ad Imperii Romani jura ſpectant, ipſo facto excidiſſe, ac veluti hoſtes Imperii bello perſequendos. Itaque A. 1276. utrinque ad arma convolatum fuit. Rudolphus probe gnarus, rem ſibi fore cum hoſte id temporis potentiſſimo, reique militaris ſcientiſſimo, per literas, & nuncios Ladislaum IV. Hungariæ Regem in fœderis communionem invitavit. Pronum in vota ſua nactus eſt Hungarum, ob injurias non leves regno ſuo illatas dudum jam Ottocaro infenſum; quo autem majus robur novo huic fœderi accederet, filiam

(*a*) Occuparat quidem Ottocarus Auſtriacas ditiones jure conjugis Margaretæ Austriacæ, ſed poſtquam hanc, quod Anus & improlis eſſet, thoro ejecit, quidni jura etiam ceſſare oportuit?

(*b*) Alludebat hic ad eam excommunicationem, quæ olim in Rudolphum adhuc Comitem Juvenemque lata fuerat, ob violatum direptumque S. Virginum Baſileæ cænobium, ſed hoc vinculo, damnis reparatis, dudum ille liberatus fuit. Atque hujus rei memoriam ad conciliandam Rudolpho invidiam refricare tum voluit Ottocari Legatus.

liam ſuam Clementiam Andreæ Slavoniæ Duci LADISLAI IV. Regis Fratri deſpondit. Eadem tempeſtate MEINHARDUM IV. Goritiæ & Tyrolis Comitem opportune ſibi conciliavit RUDOLPHUS, dum ejus filiam Eliſabetham ſibi nurum; filio autem primogenito Alberto Uxorem delegit. His fœderibus provido ſane conſilio conſtitutis, RUDOLPHUS Viennam Auſtriæ cum exercitu pervenit. Ottocarus pariter ſuis cum copiis in adverſa Danubii ripa ſe ſpectandum obtulit, ſolutis forte pontibus, prohibitus, quo minus trajecto flumine Viennam ingrederetur. Urbs hæc futura olim Habsburgici Dominatus ſedes, ad deditionem pertracta, portas RUDOLPHO aperuit. Ejus exemplum mox ſecuti ſunt Stiri, & Carinthi, qui Ottocari ſævitiem exoſi, MEINHARDI IV. hortatu Cæſari ſe ſe ſubjecere. Ea defectione intellecta perculſus Ottocarus, ac una ob Hungaros Cæſari fœderatos de Victoria deſperans, ad pacis conſilia flexit animum. Delecti itaque mutua conſenſione arbitri, qui rem ex æquo deciderent: quorum ſententia Ottocarus Auſtriam, eidemque obnoxias provincias imperio reſignare; ac Bohemiæ Moraviæque inveſtituram, ut vocant, flexis de more genibus a Rudolpho accipere coactus fuit. Quod cum die 20. Novembris e. A. præſtitiſſet Ottocarus, ſublatis odiis, amicitiam cum Cæſare iniit, quæ ut conſtans perduraret; RUDOLPHUS gemino affinitatis vinculo hominem ſibi obſtrinxit: initis pactis nuptialibus, inter ſecundo genitum filium ſuum Rudolpum, & Ottocari filiam Agnetem; tum inter hujus filium Venceslaum, & Guttam nomine filiam ſuam. Atque ſic atrociſſima tempeſtas in nuptias deſiit. His actis magna utrinque lætitia & gratulatione diſceſſum fuit, ſed quæ mox in luctum abiere. Ottocarus enim Pragam reverſus, partim pœnitudine ductus amiſſarum quatuor Provinciarum, quas poſt præſtitum obſequium ſperarat ſibi a Cæſare reſtitutum iri; partim vero Cunegundis Reginæ conjugis admiſſam Viennæ ignaviam exprobrantis oratione (*a*) animatus, bellum redintegrare ſtatuit, ad provincias fraude, ut ajebat, ſibi extortas recuperandas. Itaque A. 1278. bellum, ſed quod Bohemo funeſtum fuit, recruduit. RUDOLPHUS nihil iis minis turbatus, ſine mora cum copiis in Auſtriam advolat, LADISLAUMQUE Hungariæ Regem de ferendis ſibi ex fœdere ſuppetiis admonet, hic nihil cunctatus numeroſo cum exercitu Auſtriam ingreſſus, caſtra ſua Cæſareis conjunxit,

(*a*) Sunt, qui referant idcirco tantopere RUDOLPHO Cæſari obluctatum fuiſſe Ottocarum, quod erubeſceret ei nunc obſequi, quem olim Aulæ ſuæ Ephebum habuiſſet, at poſtquam immortalis memoriæ Vir P. ERASMUS FRÖLICHIUS e S. J. neque Aenea Sylvio vetuſtiorem alium ſcriptorem: neque antiquius aliquod monumentum de hoc *Aulæ famulatu* exhiberi poſſe graviter ſane atque erudite oſtendit, emunctioris naris critici opinionem hanc, inter vulgi commenta relegarunt. Ceterum huic fabulæ occaſionem dederit, quod Rudolphus cum delecta militum ſuorum manu Ottocaro bellum in Boruſſia gerenti ſuppetias venerit, atque ſic in ejus caſtris cum pluribus aliis Cruce ſignatis militarit A. 1254. Conſule FASTOS RUDOLPHINOS pag. XXIX. §. VII. Item P. Calleſium e S. J. in Annal. Auſtriæ Lib. VI. P. II. pag. 409.

junxit, ac inter mutuas gratulationes priſtina fœdera, & affinitatis vincula Hamburgi cum Cæſare innovavit. Appropinquante ſubinde Ottocaro, ut prælium evitare amplius non liceret, etſi Rudolphus tam numeroſis ſuppetiis adjutus, & in ſua & in fœderatorum Ungarorum virtute poſſet confidere, ut erat Religioſus Princeps, e cælo nihilominus ſibi opem implorandam putavit, itaque, ſi victoria potiretur, vovit, ſe in honorem S. Crucis cænobium conditurum (*a*). Mox die 26. Auguſti in inferioris Auſtriæ campo ad Moravam fluvium explicata utrinque acie, decretorium certamen initum: magna utrinque fortitudine, protracta diu pugna, ad extremum Bohemi hoſtium impetum, ac præſertim ſagittariorum Hungarorum vim non ferentes, ſenſim ex acie dilabi cepere. Ottocarus etſi a ſuis pene jam deſertus eſſet, turpe exiſtimans, e ſtatione diſcedere, multis acceptis vulneribus, fortiter dimicans occubuit. Rudolphus actis pro ea victoria ſolennibus Deo exercituum Domino gratiis, Hungaros una cum Rege ſuo altero mox die domum dimiſit, tum vero clementiæ ſuæ ſpecimen editurus, Ottocari conjugem viduam una cum prolibus in fidem tutelamque recepit. Venceslao occiſi Regis filio Bohemiam Moraviamque reliquit, deſponſa rurſus eidem filia Gutta, nuptiis tamen ob teneram utriuſque ætatem uſque ad A. 1286. dilatis: quo tempore, inaudito ad eum diem exemplo, quatuor ſeptemvirum Imperii Socer effectus fuit. Hunc in modum potentiſſimo æmulo ſublato, paceque reſtituta, Rudolphus Auſtriacis ditionibus per abſentiam ſuam moderandis præfecit primogenitum filium Albertum, titulo Vicarii Generalis: Anno autem 1282. in comitiis Auguſtæ Vindelicorum celebratis, Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, Carnioliam, & Vindorum Marchiam, orantibus earundem provinciarum legatis, ex communi Principum, & Ordinum Imperii conſenſu, feudi nomine contulit Alberto & Rudolpho filiis, inſuper habita, qui ei donationi interceſſerant, Ludovici Palatini, & Henrici Bavariæ ducis proteſtatione. Eandem inveſtituram, conſentientibus filiis, reſtrinxit Rudolphus A. 1286. die 1. Februarii ad ſolas Auſtriæ, Stiriæ, Carnioliæ, & Marchiæ Vindorum ditiones; eodem quippe die dato diplomate ſub ſigillo ſolenni, Meinhardum IV. Goritiæ & Tyrolis Comitem ad Principis Imperii dignitatem evectum, Ducem Carinthiæ conſtituit, ea tamen conditione; ut maſcula Meinhardi Stirpe deficiente, Carinthia ad Habsburgo-Auſtriacos Alberti poſteros devolveretur: id quod reapſe accidit A. 1335. 2. Maii, cum Otto Auſtriæ Dux, Alberti filius a Ludovico Bavaro

(*a*) Voti ſemet Religione exſolvit Rudolphus, condito Tulnæ in Auſtria inferiore Sanctimonialium cænobio, cujus fundationis literæ ſignatæ ſunt Viennæ Anno 1280. Vide Faſtos Rudolphinos.

ro Imperatore Carinthiæ inveſtituram accepit. Quo tempore obſtitere quidem huic collationi filiæ HENRICI V. Goritiæ Comitis, qui MEINHARDI V. filius & ſucceſſor fuit; ſed cum interceſſioni ſuæ locum non dari cernerent, pace inita, juribus ſuis renuntiarunt. Atque hac ratione RUDOLPHUS I. Imperator Habsburgicæ Domui ſuæ Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, Carnioliam, Marchiamque Vindorum aſſeruit, initiumque fecit illius potentiæ, ad quam Auguſta ejus domus evecta continuo crevit. Ejus enim Poſteri non modo Auſtriacas has ditiones non interrupta ſerie conſervarunt, verum etiam plurimorum circumjacentium Regnorum, & Provinciarum acceſſione feliciſſime cumularunt, ut vel ex ſuccincta hac, quam daturi ſumus, genealogica ſerie clarius intelligetur.

Fuſius aliquantum res RUDOLPHI conſulto recenſuimus; nam cum propoſitum nobis fuerit, lectoribus ob oculos ponere: qua ratione gens Habsburgica novos Auſtriæ Ducum titulos & ditiones conſecuta ſit? ea, quæ cum his nexum habuere, præteriri nullo pacto poterant. Quid præterea a RUDOLPHO actum? quæ bella geſta? qui labores exhauſti in reddenda Imperio germanico tranquillitate? Quanta Eccleſiis collata beneficia? non eſt inſtituti noſtri hic explicare (*a*). In Imperio autem per omne vitæ tempus eum ſe ſe exhibuit, ut dignus ſit, qui cum primis Imperatoribus in contentionem venire poſſit. Religionem porro cum inſigni prudentia, & militari fortitudine ita conjunxit, ut ſingula hæc in eo ſumma fuerint. Tantus cum eſſet RUDOLPHUS, illud tamen ab Electoribus ſolatii obtinere non potuit, ut ſe vivente, ALBERTUM filium Romanorum Regem nominarent. Atque huic curæ intentum fatalis morbus invaſit Cum mortem inſtare ſignificaſſent Medici, RUDOLPHUS ut Chriſtianum decebat Heroem nil turbatus: *eamus* inquit *Spiram ad alios Reges inibi in Majore Eccleſia ſepultos*, continuatoque itinere Spiram delatus, condito Teſtamento ultimis Morientium ſacramentis ritu Catholico procuratus, die 15. Julii A. 1291. magnam animam Creatori ſuo reddidit, ibidemque Cæſarum tumulo illatus fuit. Geminas ut jam diximus, habuit conjuges. Primam Gertrudem Burchardi de Hohenberg, filiam, quæ poſt coronationem Anna appellata fuit. Alteram Iſabellam, ſeu Eliſabetham, quæ etiam Agnes audit, Hugonis IV. Burgundiæ Ducis filiam; ſed quæ illi nullam attulit ſobolem. Ex prima fuere ſequentes filii & filiæ. I. ALBERTUS Dux Auſtriæ

(*a*) Poſt innumeros Rerum Auſtriacarum ſcriptores vitam, & Rex geſtas RUDOLPHI inſigni accuratione, & criſi recenſuit in FASTIS ſuis RUDOLPHINIS Celſiſſ. S. R. I. Princeps Martinus Gerbertus Abbas S. Blaſii, inſigne ſane & Ordinis ſui & Principum Decus; ad calcem narrationis adjecit fideliſſime deſcriptum Rudolphi caracterem, ex epiſtolis illius erutum, unde qua indole, prudentia, æquitate, religioneque fuerit, Poſteriſque ſuis præluxerit RUDOLPHUS velut in ſpeculo videri poteſt. Eo itaque Lectorem Rudolphi penitius noſcendi avidum relegamus.

ſtriæ hujus nominis I. Imperator, de quo mox inferius. II. HARTMANNUS Landgravius Alſatiæ Rheni aquis hauſtis, III. RUDOLPHUS VI. Dux Auſtriæ & Sveviæ, cujus inveſtituram a patre accepit, nec non Landgravius Alſatiæ, mortuus A. 1289. relicto ex Agnete Ottocari Bohemiæ Regis filia JOANNE filio, ALBERTI I. Cæſaris Patrui ſui parricida. Sex filiæ nobiliſſimis viris collocatæ ſunt: I. Mechtildis LUDOVICO Severo Palatino Rheni. II. Agnes ALBERTO II. Saxoniæ Duci. III. Hedvigis Ottoni Parvo Marchioni Brandeburgico. IV. Catharina Ottoni Inferioris Bavariæ Duci. V. Clementia CAROLO Martello CAROLI Siciliæ Regis filio. VI. Gutta VENCESLAO Bohemiæ Regi Ottocari Regis filio.

## §. VI.

*Series Genealogica Stirpis Habsburgo - Auſtriacæ ab* ALBERTO I. *Romanorum Imperatore uſque ad* LADISLAUM *Poſthumum hujus nominis V. Hungariæ Bohemiæ Regem, Auſtriæ Ducem, Marchionem Moraviæ.*

Vivo adhuc ut ſuperius meminimus RUDOLPHO I. Imp. Patre ALBERTUS I. Auſtriam moderatus fuit. Landgraviatus Alſatiæ cum Svevicis ditionibus RUDOLPHO II. ejus germano obtigere. Hujus genus in JOANNE filio Parricida defecit: ALBERTUS autem I. Stirpis ſuæ propagator feliciſſimus fuit. Porro graviſſimas diu cum Auſtriæ, Stiriæque Ordinibus ſimultates exercebat. Maxime omnium refractarii fuere cives Viennenſes. Cauſa litium hæc præcipua fuit. ALBERTUS regiminis principio Auſtriacis admodum diffidens, Suevis unice utebatur adminiſtris, in his omnem reponebat fiduciam, his ſolis civiles æque ac militares præfecturas atque dignitates credebat; horum inſtigatione veteres Auſtriæ, ac ſpeciatim florentis jam tum urbis Viennenſis prærogativas & immunitates in dies imminuebat. Quibus rebus irritati Auſtriaci ægre ad officium revocari potuere. Neque prius ad quietem rediere, quam coercitis & ejectis exteris adminiſtris. Conſimili ex cauſa, ob Præfectorum exterorum arrogantiam & inhumanitatem, offenſi Helveti, paulo majores turbas dedere: inita enim conſpiratione, excuſſo legitimi Principis jugo, cæſis aut regno exactis Prætoribus ALBERTI, in Rempublicam hodiedum florentem coaluere A. 1308. facta fuit ſeceſſio hæc Helvetorum ALBERTO I. jam Imperatore, ad quam dignitatem difficiles ſane aditus nactus fuit: neque enim prius eam obtinuit, quam poſt devictum, cæſumque die 2. Junii A. 1298. ad Spiram Imperii Urbem, Adolphum Naſſovienſem Cæſarem æmulum. Hac victoria potitum ALBERTUM die 27. ejusdem Menſis Electores Imperii unanimi voce Imperatorem ſalutaverunt. Sed neque in Imperio quieto eſſe licuit ALBERTO: ad id enim tuendum duodecies ac fere ſemper glorioſe cum hoſtibus dimicavit.

 vit.

vit. Verum mira humanarum rerum viciſſitudine bellicoſus hic princeps, qui toties victor ex acie exceſſit, nepotis JOANNIS parricidio ſuccubuit A. 1308. Cum enim non ſatis caſtigatæ vitæ Adoleſcenti conſtitutis tutoribus frenum injeciſſet, atque una matrimonium inire vetuiſſet; adeo impotens ſui pupillus vindicta exarſit, ut ſanguinis vinculorum oblitus, Patruum ſuum per ſicarios crudeliter trucidari procurarit. Commiſſo tam nefario ſcelere JOANNES non abſimilibus Caino intemperiis agitatus quinquennio errantem vitam duxit, dum denique Monachum indutus acta pœnitentia deceſſit A. 1313. ALBERTI autem præmaturam mortem ſarſit poſteritas ampliſſima, quam ex Eliſabetha MEINHARDI IV. Goritiæ & Tyrolis Comitis filia progenuit. Hoc autem fuere ordine. I. RUDOLPHUS inter Habsburgicos hujus nominis III. Rex Bohemiæ opera conjugis ſecundæ Eliſabethæ Polonæ VENCESLAI IV. Bohemiæ Regis viduæ. Primam conjugem habuit Blancam PHILIPPI III. Galliæ Regis filiam; at ex neutra Patris nomen conſecutus, Patri ſuo præmortuus fuit A. 1307. die IV. Julii (*a*). II. FRIDERICUS cognomento PULCHER Rom. Imp. Hic cum Spiræ A. 1308. poſt Parentis ALBERTI obitum ſibi, fratribusque ab HENRICO LUCELBURGICO Imperatore Auſtriacarum ditionum inveſtituram peteret, atque ille ferociter negaret, dicens: *Ob unum Auſtriæ Ducatum quinque Reges fuiſſe interemtos, ac idcirco ſatis cauſæ ſuppetere, ut rerum in ea Provincia ordo mutaretur.* FRIDERICUS ut erat militaris animi Princeps audacter repoſuit, *Cæſarem, ſi in ſententia perſiſtat, fieri ſextum poſſe.* Quo reſponſo HENRICUS Cæſar perculſus, etſi antea Habsburgicos Auſtriæ poſſeſſione dejicere conſtituerat, quod petebatur ſine mora annuit. Idem FRIDERICUS a quatuor Electoribus A. 1314. Romanorum Rex creatus, potentem in Imperio æmulum habuit LUDOVICUM Bavarum, ab altera Electorum parte Cæſarem nominatum. Cum hoc poſtquam juſtis quatuor præliis ſecundo marte de Imperio contendiſſet, in fatali ad Müldorfium Bavariæ inferioris oppidum pugna die XIII. Septembris A. 1322. victus captusque fuit. Fertur FRIDERICUS tanta vi eo die dimicaſſe, ut quinquaginta fortiſſimos ex hoſtibus ſua manu interemerit. Victoriam nimia virtutis ſuæ confidentia perdidit, cum non expectato, qui altero die juſto cum exercitu ſuppetias venturus erat, LEOPOLDO fratre, prælium imparibus viribus inivit. Non ſemper viribus deſtituta virtus, ſcientiaque militaris triumphat. Triennium in captivitate Bavarica exegit FRIDERICUS: quo abſoluto, LUDOVICUS Bavarus prius jure jurando ad amicitiam colendam adactum liberum dimiſit (*b*). Stetit ſane pactis

(*a*) In expeditione contra Bavaros cum Herwirzium, quod etiam expugnavit, obſideret, diſſenteria correptus, cum Aulici ſuaderent, ut Pragam valetudinis curandæ cauſa ſe deportari ſineret, id reſponſum dedit. *Magis ſe decere in Caſtris; quam in palatio mortem obire.* Digna ſane viro militari vox.

(*b*) Quo ſincerior eſſet concordiæ tractatio, pro

ctis ſumma fide FRIDERICUS, nil enim deinceps negotii faceſſivit æmulo, ad obitum usque, qui accidit die 13. Januarii Anno 1330. reliquit ex Eliſabetha Jacobi II. Arragoniæ Regis filia, ſuperſtitem Annam, Joanni Henrico Goritiæ Comiti nuptam. III. LEOPOLDUS I. Dux Auſtriæ cognomento *glorioſus* dictus ob præclaras belli dotes obiit 28. Februarii A. 1326. quo etiam ejus uxor Catharina Amadæi V. Sabaudiæ Ducis filia, duarum filiarum Catharinæ, quæ CONRADO C. HARDEGG, & Agnetis quæ BOLESLAO IV. Swidnic. Duci nupſerant, Mater vivere deſiit. IV. ALBERTUS II. Stirpis Auguſtæ propagator, de quo ſeorſim inferius. V. HENRICUS PLACIDUS Dux Auſtriæ: hic eandem cum fratre FRIDERICO ad MÜLDORFIUM ſortem nactus Eliſabetham de Virnenburg improlem viduam reliquit die 3. Februarii A. 1327. VI. MEINHARDUS in infantia deceſſit A. 1301. VII. Otto AUDAX, ſive *hilaris* Dux Auſtriæ. Hic teſte LUDEVIGIO in Germania Principe: jocis Auſtriacorum facultates regionesque inſigniter auxiſſe fertur. Deficiente MEINHARDI IV. Goritiæ & Tyrolis Comitis in HENRICO V. Comite maſcula Stirpe Otto noſter ex Pactis Habsburgicos inter & Goritienſes Principes A. 1286. initis, Carinthiæ inveſtituram a LUDOVICO Bavaro obtinuit 2. Maii. A. 1335. Idem LUDOVICUS Bavarus Imperator pro ſuo in Auſtriacos ſtudio ALBERTO & OTTONI fratribus eorumque poſteris feudi nomine contulit A. 1336. Patavium ac Tarviſium, biennio autem poſt eosdem Patavinæ æque ac Tarviſinæ ditionis generales & perpetuos Vicarios conſtituit jure ad poſteros tranſituro (*a*). Scaphuſiam



pro uſitato id temporis more, ſacerdos ad aram operans SS. Hoſtiam in duas diviſit partes: quarum alteram Ludovico Bavaro; alteram FRIDERICO Auſtriaco ſumendam porrexit. Ita porro eos inter conventum fuit: ut Imperatoria dignitas utrique ſalva maneret: omni præcedendi ordine ſublato, æquali uterentur poteſtate, ac inſtar unius Perſonæ haberentur. Feuda ad eum diem diſtributa, poſſeſſores ſine fraude tenerent: quod ſi quis deinceps ab uno Cæſarum donationem obtineret, ejus confirmationem ab altero petere obligaretur. Duo denique ſigilla imperatoria conficerentur, quorum cuivis amborum nomina inſcripta ſint: Hæc ex Inſtrumento concordiæ dato Monachii die Jovis ante B. V. Natæ feſtum, Anno a Natali Domini Milleſimo trecenteſimo quinto & Viceſimo, regni LUDOVICI Undecimo. Ejus apographum nobiscum communicavit Excell. ac Ill. Comes Coronini a Cronberg.

(*a*) Juvat geminas has Auſtriacæ domui factas donationes totidem diplomatibus, quorum apographa nobiſcum communicavit idem Excell. ac Ill. C. Coronini de Cronberg, comprobare. Primum ſic habet. „ Nos LUDOVICUS Dei gratia Rom. „ Imp. ſemper Auguſtus, notum facimus omni„ bus hoc viſuris audituris aut lecturis, quod „ nos Illuſtribus Alberto & Ottoni Ducibus Au„ ſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ dilectis noſtris cognatis „ & Principibus eorumque hæredibus ob inſignia „ obſequia, quæ nobis & Imperio præſtiterunt, „ & in poſterum præſtabunt, noſtras & Imperii „ Civitates Paduam & Terviſium cum omnibus „ ſuis appertinentiis Cæſarea noſtra auctoritate „ in vera feuda contulerimus: & præſentibus li„ teris conferamus, ea conditione ut nobis & „ in Imperio ſucceſſoribus de prædictis civitatibus „ & appertinentiis ſervitia præſtent, quæ ab il„ lis civitatibus præſtari poſſunt, & Ro„ manis Cæſaribus vel Regibus merito præ„ ſtanda ſunt. In cujus fidem & firmitatem da„ mus haſce literas Imperiali noſtro ſigillo muni„ tas. Datum Viennæ die Veneris ante Centurio-

phuſiam item Reinfeldam, Neuburgum, Briſacum, Colmariam, & Burgoviam ſibi domuique ſuæ OTTO aſſeruit. Duæ ei fuere conjuges: Eliſabetha Stephani Inferioris Bavariæ Ducis; & Anna CAROLI IV. Imperatoris filia. Prima ei FRIDERICUM & LEOPOLDUM eodem Anno 1344. ſine ſobole extinctos peperit, altetam absque fructu defunctam ipſe mox conſecutus fuit A. 1339. die 17. Februarii. ALBERTI I. Cæſaris filiæ hoc ordine recenſentur: I. ANNA primum Hermanno Longo Brandenburgiæ Marchioni; tum HENRICO VI. Wratislaviæ Duci nupta. II. AGNES Hungariæ Regina. Hanc ſecundis nuptiis ſibi copularat ANDREAS III. dictus Venetus Hungarorum Rex, poſtremus nobiliſſimæ illius Stirpis Regiæ Arpadianæ, quæ inde a D. STEPHANO I. trecentis & amplius annis nunquam interrupta ſerie Hungaris imperavit. Poſt præmaturum viri obitum A. 1301. Agnes rerum humanarum pertæſa Königsveldam ſe recepit, ubi prope S. Virginum Cænobium pie vixit A. 1364. die 11. Junii. III. ELISABETHA FRIDERICO IV. Lotharingiæ Duci copulata fœcunda Mater fuit Stirpis ad nos uſque feliciſſime propagatæ. IV. CATHARINA CAROLO Calabriæ Duci, V. denique GUTTA LUDOVICO Comiti ab Oet ingen nuptui data. ALBERTUS II. Dux Auſtriæ filiorum ALBERTI I. Imperatoris ordine IV. Auſtriacis titulis & ditionibus adjecit Comitatum Ferretarum,

„ turionem poſt Chriſtum natum Milleſimo treceenteſimo ſexto & triceſimo Regni noſtri vigeſimo ſecundo Imperii octavo.

Alterum de Vicariatu hujus tenoris eſt. „Nos LUDOVICUS D. G. Rom. Imp. ſemper Aug. licet ad quorumlibet noſtrorum ac Romani Imperii fidelium munifice proſequenda ſervitia liberalitatis noſtræ manus quadam generalitate ſit habilis, illis tamen quadam ſpecialitate ſit debitrix, per quos idem imperium tanquam baſes egregias principalius ſuſtentatur, in quibus nihilominus ſanguinis iidem puritatem recognoſcimus, & fidei puræ conſtantiam invenimus, quorumque devotis non ſolum præſtitis placere cupit obſequiis, ſed ſperatur in antea potius placitura præſtandis. Ea propter ad univerſorum notitiam tam præſentium quam futurorum quorum intereſſe fuerit præſentibus cupimus pervenire, quod nos ſinceræ fidei, ac præclaræ devotionis inſignia, quibus Magnifici Principes Albertus & Otto Auſtriæ Stiriæ & Carinthiæ Duces Avunculi noſtri dilecti nos & Romanum Imperium venerantur, ac obſequia fructuoſa, quæ nobis & Imperio exhibere poterant, in futurum claræ noſtræ mentis intuitu limpidius intuentes ipſos Albertum & Ottonem Duces prædictos eorumque filios & hæredes, civitatum Paduæ & Terviſiæ generales & perpetuos Vicarios duximus incommutabiliter ſtatuendos, ipſaſque civitates prædictas videlicet Paduæ & Terviſiam cum omnibus ſuis Dominiis, oppidis, caſtris, caſtellis, munitionibus, foris & villis, hominibus, poſſeſſionibus, honoribus, uſibus, juribus Patronatus Eccleſiarum, terris cultis & incultis aquis & aquarum decurſibus, ſilvis, venationibus, montibus, planis & Vallibus, earumque juribus, libertatibus, conſvetudinibus nec non omnibus & ſingulis ſuis pertinentiis quocunque nomine cenſeantur prædictis Alberto & Ottoni Ducibus eorumque filiis & hæredibus contulimus & conferimus in feudum Vicariorum nomine, ut præſcribitur cum univerſis pertinentiis memoratis, habendis, gubernandis ac regendis tenendis uti fruendis nec non invariabiliter & perpetuo poſſidendis, ſic etiam ut exinde nobis & Imperio exhibere debeant ſervitia opportuna. In cujus rei teſtimonium præſentes conſcribi noſtræque Majeſtatis Sigillo juſſimus communiri. Datæ Monaci IV. die menſis Januarii Anno M.CCCXXXVIII. regni noſtri Anno XXIV. Imperii vero X. „

rum, jure conjugis Joannæ, poſtremi Ferrete Comitis Ulrici III. filiæ (*a*). Dictus eſt *ſapiens* ab inſigni prudentia, *contractus* autem a nervorum contractione, quam ei attulit maligna potio ab imprudente medico porrecta. Hujus munificentia initium datum novæ D. Stephani Baſilicæ. Clero primum nomen dederat, at cum Fratribus ſuis Maſculam ſobolem deeſſe cerneret, mutato conſilio, auſpicatiſſimum iniit connubium, plurium prolium pater. Obiit die 10. Julii A. 1358. Præter filiam Margaretam primis nuptiis Meinhardo V. Goritiæ & Tyrolis Comiti, hoc vero A. 1363. ſublato, ſecundis Joanni Henrico Marchioni Moraviæ copulatam, & alteram Catharinam S. Monialem ad D. Claræ Viennæ. IV. Albertus II. reliquit filios ſuperſtites. I. Rudolphus hujus nominis IV. Dux Auſtriæ Fundatoris appellationem conſecutus fuit a copioſis fundationibus aut erectis, aut dotatis. Illi Præpoſitura ad D. Stephani A. 1360. & antiquiſſima florentiſſimaque hodie Vindobonenſis Univerſitas A. 1365. ſua debet initia. Auguſta etiam Domus Auſtriaca non levia illi accepta refert incrementa: Cum hoc enim Margareta Maultaſchia Meinhardi IV. neptis ea de ſucceſſione pacta, quæ Monachii A. 1359. inierat, rurſus A. 1363. innovavit; quo tempore Comitatum Tyrolis, & ſua in Goritiam Jura nomine donationis, ut ajunt, inter viros Rudolphi IV. Ducis Auſtriæ, ejuſdemque Fratrum juribus transſcripſit, ea tamen lege, ut quoad viveret Margareta, Auſtriacorum Ducum nomine Tyroli præeſſet; ejuſdemque proventibus frueretur; Auſtriaci ex adverſo eam uſque ad obitum contra vim omnem protegerent, nec niſi poſt mortem hæreditatis ſuæ poſſeſſionem adirent. Erat Rudolpho IV. Conjux Catharina Caroli IV. Imperatoris filia, nullo tamen ſuſcepto hærede extinctus fuit Mediolani A. 1365. die 17. Julii. II. Fridericus III. Liberalis dictus in adoleſcentia A. 1362. die 10. Decembris deceſſit ex vulnere, quod ei inter venandum forte intulit Ernliebus Pottendorfius. III. Albertus III. cum Trica nuncupatus. IV. Leopoldus III. cognomento *Probus*: hujus ſobolem, per quam Auguſta Stirps Auſtriaca ad nos uſque propagata fuit, ſequente §. daturi ſumus. Alberti vero III. poſteros qui in Ladislao V. Poſthumo Hungariæ Rege defecere, præſente §. recenſebimus. Albertus III. Dux Auſtriæ ob ſingularem intricatamque capillorum texturam *cum trica* appellatus, poſt fratris ſui ſenioris Rudolphi IV. obitum, ad præcidendam diſſenſionum cauſam hæreditarias provincias ita pertitus eſt, teſte Ludevigio, ut reſervata ſibi Auſtria, Stiria, Carinthia, Carniolia, cum Vinidorum Marchia, ceteras provincias omnes juniori fratri Leopoldo III. *Probo* conceſſerit. (*b*). Geſſit Al-

(*a*) Quas in Italia aquiſitiones fecerit cum Ottone Duce Germano ſuo ex nota ſuperiore intelligi poteſt.

(*b*) Haſelbachius quidem in Chron. Auſtr. apud Hieronimum Pezium Script. Auſtr. Tom. II. pag. 811. refert in poſtrema Provinciarum par-

Albertus III. bella cum ſocero ſuo Carolo IV. Imperatore, cujus filiam Eliſabetham primo conjugio ſibi copulaverat, verum ducibus ſuis auro cæſareo corruptis, proditus improſperos ſucceſſus habuit. Obiit 29. Auguſti A. 1395. relicto ex ſecunda conjuge Beatrice Friderici IV. Burggravii Norimbergenſis filia unico hærede Alberto IV. cui appellatio *mirabilia mundi* inde adhæſit, quod crebro repeteret, ſe in expeditione ad terram ſanctam *mirabilia mundi* ſpectaſſe. Fertur architecturæ, pictoriæ, ſculptoriæque peritiſſimus fuiſſe. Sub eo famigerata D. Stephani Turris Viennenſis A. 1400. finem accepit. Literarum æque ac literatorum æſtimator cultorque eximius vixit die 14. Septembris A. 1404. Genuit ex Joanna Bavara, Margaretam Henrico inferioris Bavariæ Duci nuptam & Albertum inter Duces Auſtriæ V. Hic *Budæ* in Aula Hungarica educatus poſtquam Sigismundi Cæſaris, & Hungariæ ac Bohemiæ Regis filiam unicam Eliſabetham conjugio ſibi junxiſſet, Ordinum Regni conſenſu una cum conjuge ſolenni ritu inauguratus, æquato cum illa jure Hungariæ & Bohemiæ poſſeſſionem adivit A. 1438. (*a*) Eodem anno ordines Germaniæ ſumma conſenſione ei dignitatem Imperii contulere. Fertur Albertus ut erat inſigni prudentia rerumque in Aula Sigismundi Imperatoris uſu excultus, diviſionem Romani Imperii in decem circulos primus deſcripſiſſe, quam ideam poſtea Maximilianus I. effectui dedit. Oſtenſus potius quam conceſſus fuit ſubditis populis Princeps optimus, cum enim ab expeditione Turcica redux ad res Auſtriæ ſuæ componendas Viennam properaret, vitiato per immoderatum peponum eſum alvo, in villa longa prope Comaromium vivere deſiit A. 1439. die 27. Octobris, Albæ Regalis conſueto Regum Hungariæ tumulo illatus. Reliquit ex Eliſabetha Regina conjuge ſuperſtites filias geminas: Annam Wilhelmo III. Electori Saxoniæ, & Eliſabetham Casimiro III. Poloniæ Regi ſerius poſtea collocatas. Quia vero conjugem gravidam moriens relinquebat, ſolenni teſtamento cavit, ut ſi maſculam prolem eniteretur, hæc in Regnorum ſpem Poſonii in Hungaria educaretur, additis geminis tutoribus, e ſingulis provinciis, puta: Hungaria Bohemia, Auſtria, & Moravia in quibus ſucceſſura erat. Quæ ultima providi Patris voluntas utinam effectum ſortita fuiſſet! Quarto poſt Alberti Imperatoris obitum Menſe, Regina Comaromii in lucem edidit Ladislaum Poſthumum Hungariæ Bohemiæque Regem, Ducem Auſtriæ Marchionemque Moraviæ. Hunc ſolicita nimium Mater Eliſabetha bimeſtrem Albæ Regalis coronari procuravit, tum vero diademate Hungarico, op-

pidis-

titione A. 1379. facta Albertum III. ſibi ſolam Auſtriam reſervaſſe, id. certum Albertum V. ejus nepotem Hungariæ Regem ſolam Auſtriam poſſediſſe.

(*a*) Conſule *notitiam Rerum Hungaricarum* quam Anno 1770. Typis Tyrnavienſis Collegii S. J. vulgavimus Tom. II pag. 151. & 159.

# GENEALOGIÆ AUG. DOMUS HABSBURGO-LOTHARINGICÆ.

Tab. VI. ad pag. 65.

Rudolphus V. Comes Habsburgi natus 1218. I. Maii Limburgi.
Roman. Imperator. hujus nominis I. Coronat. 1273. 28. Octob. † 1291. 15. Julii Spiræ.
Uxor I. Gertrudis *alias* Anna Burchardi Com. de Hohenberg. filia † 1281. 16. Febr. Viennæ Auſtriæ.
II. Eliſabetha alias Agnes Hugonis IV. Burgundiæ Ducis filia *improlis*. †

Albertus I. Dux Auſtriæ Rom. Imp. † 1308.
Eliſabetha Mainhardi IV. Gorit. & Tyrol. Com. filia.

Hartmannus C. de Habsb. Landgr. Alſatiæ.

Rudolphus II. Dux Auſt. Landgrav. Alſat. † 1289.
Agnes Ottocari Boh. Reg filia.
— Joannes D. Auſtr. Landgrav. Alſat. † 1313.

Mechtildis Habsburgica
Ludovicus *ſeverus* Com.
Palat. Rheni.

Agnes Habsb.
Albertus II. Dux
Saxoniæ.

Hedvigis Habsb.
Otto Marchio
Brandeburgi.

Catharina Habsb.
Otto Inferioris
Bavariæ Dux.

Clementia Habsb.
Carolus Martellus fil.
Caroli Claud. R. Sicil.

Gutta Habsburg.
Venceslaus Rex
Boh. Ottocari fil.

Rudolphus III. D. Auſt.
Rex Boh. † 1307.
I. Blanca Galliæ Reg. fil.
II. Eliſabetha Polona.

Fridericus I. *Pulcher* D. Auſt.
Rom. Imp. † 1330.
Eliſabetha Arragonia.
— Anna Duciſſa Auſtr.
Henricus Joan. Com. Gorit.

Leopoldus I. *Glorioſus*
Dux Auſt. † 1326.
Catharina Sabauda.
— Catharina
Com. Hardegg.
— Agnes
Boleslaus Swidnic.

Albertus II. *ſapiens* D. Auſt. † 1358.
Joanna Ulrici Comitis
Ferretarum filia.

Henricus *Placidus* D. Auſt.
† 1327.
Eliſabetha de Virnenburg.

Otto *Hilaris* D. Auſtr.
† 1339.
Eliſabetha Bavara
Anna filia Caroli IV. Imp.
— Fridericus II. D. Auſt. Leopoldus II. D. Auſtr.

Anna Auſtriaca
Hermannus Brandeb.
Henricus Dux Wratislav.

Agnes Auſtr. † 1364.
Andreas III. Rex Hung.
† 1301.

Eliſabetha Auſt.
Fridericus IV. D. Lothar.
*Vide* Tab. II.

Catharina Auſt.
Carolus Dux Calab.

Gutta Auſtriaca.
Ludovicus ab Oetting.

Rudolphus IV. Dux Auſtr.
*Fundator* † 1365.
Catharina Caroli IV. Imp. fil.

Fridericus III. D. Auſt. *Liberalis*
† 1362.

Albertus III. *cum Trica* D. Auſtriæ
† 1395.
I. Eliſabetha Caroli IV. Imp. filia *improlis*
II. Beatrix Burggrag. Norimberg.

Leopoldus III. Probus Dux Auſtriæ † 1386.
Virida Bernab. Vice - Com. Mediolan. filia.

Margaretha
I. Mainhardus V. Gorit. & Tyrolis Comes
II. Joannes Henricus Marchio Moraviæ.

Albertus IV. *Mirabilia Mundi* Dux Auſtriæ † 1404.
Joanna Bavara.

Wilhelmus D. Auſtr. † 1406.
Sponſa Hedvigis Ludovici M. Reg. Hung. filia.
Uxor Joanna Caroli II. Regis Hung. & Neap. filia.

Leopoldus IV. *Craſſus* D. Auſtr. † 1411.
Catharina fil. Philip. Ducis Burgund.

Erneſtus ferreus D. Auſtr.
Vide Tab. VII.

Fridericus IV. *Cum Vacua Pera* D. Auſtr. Comes Tyrolis † 1439.
U. I. Eliſabetha Ruperti Imp. filia *improlis*.
II. Anna Brunſvicenſis.

Albertus V. Dux Auſtriæ Reg. Hung. Boh. Rom. Imp. II. † 1439.
Eliſabetha Hung. Sigismundi Imp. Regis Hung. Boh. filia hæres.

Margareta Auſtr.
Henricus Dux Bavariæ.

Sigismundus Dux Auſtriæ Comes Tyrolis † 1496.
U. I. Eleonora Jacobi II. Scotiæ Regis filia.
II. Catharina Alberti Saxoniæ Ducis filia.

Anna Hungara
Wilhelmus III. Dux Saxon.

Eliſabetha Hung.
Caſimirus III. Rex Polon.

Ladislaus V. Poſthumus Rex Hung. Boh. Dux Auſtriæ † 1457.

pidisque nonnullis Hungaricis, FRIDERICO III. Cæſari Stiriæ Duci, a quo 19. florenorum auri millia mutua levaverat, pignori locatis, ipſum mox LADISLAUM poſthumum infantem ejusdem tutelæ transſcripſit. Quæ res multis turbis bellisque occaſionem poſtea dedit. Fridericus creditum ſibi pupillum ſumma cura ad omnes Chriſtiano Principe dignas virtutes inſtituerat; Auſtriaci tamen imperium tutoris non ferentes, inita cum Hungaris ſocietate Cæſarem Neoſtadii Auſtriæ arctiſſima preſſere obſidione, uſque dum urgente fame, ditionem facere coactus, LADISLAUM poſthumum A. 1452. die 4. Septembris eis conſignaſſet. Hic e tutela eliberatus, dum in ſpes populorum adoleſcit, Pragæ A. 1457. die 23. Novembris ætatis anno 18. innocentem animam ad cœlum transmiſit non ſine ſuſpicione veneni ab Huſſitis propinati. Poſt LADISLAI Poſthumi Hungariæ & Boh. Regis, Auſtriæ Ducis, & Marchionis Moraviæ obitum, in quo RUDOLPHI IV. Ducis Auſtriæ Linea defecit, Auſtria ad hujus fratris LEOPOLDI III. PROBI poſteros hæreditario jure devoluta fuit, de quibus mox ſermo erit.

## §. V.

*Series Genealogica Stirpis Habsburgo-Auſtriacæ a* LEOPOLDO III. PROBO *Duce usque ad* ERNESTUM FERREUM *Ducem Stiriæ &c.*

ALBERTI II. *ſapientis* & *contracti* filiorum quartus LEOPOLDUS III. cognomento *probus*, diviſa cum ALBERTO III. *cum trica* fratre hæreditate avita, Tyrolim, Sueviam, Burgaviam, Suntgaviam, Brisgoiam cæterasque in Helvetia & Alſatia ſitas Habsburgicorum ditiones obtinuerat. Subinde autem, quo quatuor filiorum ſuorum dignitati amplius proſpiceret, eidem Fratri ſuo eripuit Stiriam, Carinthiam, & Carnioliam. Hæreditates has novis auxit incrementis: Vindicato Comitatu Hohenbergico: coemtis perſoluto ære Dynaſtiis: Pludens & Heiligenberg ab Alberto Verdenbergico; Comitatu item Veldkirchenſi a Rudolpho Montfortio. Tergeſtum, & Friburgum ſpontanea incolarum deditione; Marchiam vero Tarviſinam & complures Fori Julii ditiones conſentiente CAROLO IV. Cæſare ſui juris fecit; ab Hujus porro filio, & in Imperio ſucceſſore Venceslao inerte, Landvogtiam, ut vocant Sueviæ cum oppidis nonnullis pignoris nomine impetravit. Tantis familiæ ſuæ incrementis ad majora audenda incitatus LEOPOLDUS III. Dux, ad Helvetiam omnem penitus ſub jugum mittendam applicuit animum. Itaque cum delectis cataphractorum copiis regionem invaſit, at infauſto prorſus exitu; commiſſo enim ad Sempachium ditionis Lucerienſis Urbem prælio, iniquiſſimo plane loco pugnare coactus, quodque Helveti numero prævalerent, undique circumventus, plurimis ſuorum deſideratis, fortiter pugnans occubuit Anno

1386. die 11. Julii: documento futurus poſteris, ne incauti ex levioribus ad ardua menſuram a præteritis ſucceſſibus acciperent, ac ſi aliquando congrediendum foret, numerum prius & robur hoſtium, ſitum quoque, & valla caſtrorum cum propriis viribus collata metirentur. Filii, quos LEOPOLDUS III. ex Virida, ſeu Viride Bernabonis Vice-Comitis Mediolanenſis filia genuerat, fuere ſequentes: I. WILHELMUS Dux, hunc LUDOVICUS M. Rex Hungariæ & Poloniæ ſecundo genitæ filiæ ſuæ Hedvigi ſponſum deſignaverat, pluribusque annis Budæ in aula ſua in ſpem Regni Polonici educaverat; verum a M. Regis obitu A. 1382. die 12. Septembris Tyrnaviæ extincti, Poloniæ ordines Regnum ea lege Hedvigi detulere, ut repudiato ſponſo Auſtriaco, Wladislaum Jagellonem Lituaniæ Ducem Maritum acciperet, quo ſic duo hæc Regna unirentur. Itaque WILHELMUS, qui ſponſam Cracoviam uſque comitatus fuerat, non ſine acerbiſſimo animi dolore & nuptiarum, & Regni Polonici ſpe excidit. Duxit poſtea Joannam filiam CAROLI Parvi Andini, Regis Neapolitani, qui cum Regnum Hungariæ ad ſe attraxiſſet, Reginarum Eliſabethæ & Mariæ juſſu Budæ cæſus fuit (*a*). Sed neque hoc matrimonio diu fruitus obiit A. 1406. II. LEOPOLDUS IV. dictus *craſſus* ab obeſo nimium corpore: in domandis Patris exemplo Helvetiis pariter operam luſit: cum enim ad frangendos Glaronenſis *Glaris* ditionis populos, qui jam A. 1351. excuſſo Auſtriacæ dominationis jugo, in libertatem ſe aſſeruerant, ſex ſuorum millia adduxiſſet, pene omnibus ab efferata plebe conciſis, ægre ſalutem invenit. Cladi huic ſuperſtes Viennæ poſtea ex ſanguinis profluvio vitam finiit A. 1411. die 3. Junii, nulla ſobole ſuſcepta ex Catharina Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filia. III. ERNESTUS ob inſigne corporis robur *ferreus* dictus, cujus poſteritatem ſequente §. daturi ſumus. IV. FRIDERICUS IV. Comes Tyrolis *cum vacua pera* ſic dictus eſt propterea, quod pene omnibus ditionibus ſuis ſpoliatus fuerit Conſtantienſis concilii tempore. Cum enim Joannem XXII. Papam, quem Eccleſia ad tollendum ſchiſma cum cæteris æmulis Antipapis in ordinem redegerat, clam Conſtantia ſubductum, Friburgi ſervaret; neque juſſus reſtituere vellet, Sigismundus Imperator bonorum publicatione proſcriptum multavit. Nec mora primi Helveti, Auſtriacis infenſi, Habsburgum, pluresque alias arces occuparunt: quorum exemplum ſecuti alii, quam quiſque potuit partem e FRIDERICI ditionibus rapuere. ERNESTUS *ferreus* frater communi ei direptioni modum poſiturus Tyrolim invaſit. Hac ratione FRIDERICUS IV. momento quaſi ad incitas redactus dimiſſo JOANNE XXII. veniaque a Sigismundo impetrata, patrimonium ſuum ſed admodum mutilatum recepit. Obiit A. 1439. die 24. Junii. Prima illi conjux fuit Eliſabetha Ruperti Palatini Imperatoris filia; altera Anna Brunsvicenſis, atque ex hac genuit filium unicum SIGISMUNDUM

(*a*) Ibidem pag. 109.

MUNDUM Comitem Tyrolis, Auſtriæ Archiducem. Hic magnam ditionum ſibi a Parente FRIDERICO IV. relictarum partem abligurivit: geminas habuit conjuges: Eleonoram JACOBI II. Scotiæ Regis gnatam, & alteram Catharinam Alberti animoſi Ducis Saxoniæ; at ex neutra Patris nomen obtinuit. Cæterum XI. proles naturales ſuſtulit: quatuor filios, & ſeptem filias. Atque in hoc SIGISMUNDO defecit penitus linea Auſtriaco-Tyrolenſium, hæreditasque omnis tranſiit ad ERNESTI Ferrei poſteros Archiduces Auſtriæ, quorum ſeriem nunc explicabimus.

## §. VI.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo-Auſtriacæ ab* ERNESTO *Ferreo Auſtriæ Duce usque* PHILIPPUM *Pulchrum Regem Caſtiliæ, Archiducem Auſtriæ duarum linearum Auſtriaco-Hiſpanicæ & Auſtriaco-Germanicæ Parentem.*

ERNESTUS Ferreus Stirpis Auſtriacæ continuator poſt abſolutam peregrinationem in Terram Sanctam, domum reverſus tranquillam duxit vitam, dum interim ejus fratres LEOPOLDUS IV. & FRIDERICUS IV. *cum vacua pera* atrociter inter ſe dimicarent cauſa tutelæ ALBERTI V. Ducis Auſtriæ tum pupilli, quod quisque eandem ad ſe ſpectare contenderet, nec prius litibus finis impoſitus eſt; quam poſtquam SIGISMUNDUS Imp. eum in ſuam aulam traductum in protectionem recepit, Generumque delegit, ut §. IV. ſub finem adnotavimus. Obiit ERNESTUS Dux A. 1424. die 10. Junii. Poſt primæ conjugis Margaretæ Pomeranæ obitum, cum e Paleſtina rediens Budæ A. 1411. ſubſtitiſſet, hortatu SIGISMUNDI Imp. Regis Hungariæ Cracoviam deflexit, ad jungendam ſibi matrimonio Cimburgam Ziemoviti Maſſoviæ Ducis filiam, a prominente labio craſſiore notatam. Atque hujus fuere proles: I. MARGARETA FRIDERICO Saxoniæ Electori, II. CATHARINA CAROLO I. Marchioni Brandeburgenſi copulata. III. ALBERTUS VI. dictus *prodigus* exſtinctus A. 1463. die 2. Decembris nulla relicta ſobole ex Mechtilde LUDOVICI IV. Palatini Rheni filia. IV. ERNESTUS II. conjugii expers mortuus A. 1432. die 10. Aug. ac denique cui Stirpem Auſtriacam paulo altius evectam debemus V. FRIDERICUS V. Dux Auſtriæ dictus PLACIDUS, cui mox a morte ALBERTI II. Imp. Hungariæ Regis, Germaniæ ordines Imperii dignitatem contulere A. 1440. Is multas a majoribus agnatisque ſuis ditiones alienatas recuperavit, novas bello, paceve domui ſuæ aſſeruit, ac jura præſertim ampliſſima aquiſivit, quæ poſteris deinceps maximas attulere hæreditates. ULRICO Cilejenſe Comite propter diuturna in univerſam gentem Hungaricam odia, Belgradi A. 1456. die 10. Novembris per LADISLAUM de Hunyad Dalma-

 tiæ,

tiæ, & Croatiæ Banum interempto (*a*) Fridericus, vi tractatus cujusdam Cilejenſes inter & Auſtriacos initi, univerſam ejus hæreditatem extra Hungariam ſitam ſibi aſſeruit, nominatim vero Comitatum Cilejenſem Styriæ, Ortenburgicum vero Carinthiæ adjunxit. Oppoſuit quidem ſe hujus occupationi Joannes Comes Goritiæ, verum appropinquantibus Auſtriacis copiis, ſuæ virtuti diffiſus fuga ſe ſubduxit, relictis Friderico ſuperiore, & inferiore Traburgo: ut crederes, juvenem Principem aliena invaſiſſe, ut ſua amitteret. Cæterum Fridericus Imperator pacis potius, artibus, quam bellicis ſucceſſibus clarus fuit. Multum ei cum Auſtriacis & Hungaris negotii fuit Ladislai Poſthumi tutelæ cauſa. Hunc poſtquam dira fame adactus Neoſtadii, Auſtriæ Hungariæque primoribus conſignaſſet, Sacrum Regni Hungariæ diadema magno ſibi olim uſui futurum retinuit. Mortuo ut diximus Ladislao Poſthumo; Auſtria ad Fridericum devoluta eſt; Bohemiæ regno Georgius Bodiebradius, Hungariæ vero Mathias de Hunyad, Joannis Gubernatoris fortiſſimi ævo ſuo Herois filius ſunt potiti. Illi non magnopere obluctatus eſt Fridericus, at Mathiam Corvinum ut legitimum Hungariæ Regem agnoſceret, induci diu non potuit; quin etiam ſpe Regni Hungarici, quod nonnulli proceres offerebant, animatus, Diadema ne oblato quidem pignoris pretio reſtituere voluit: quæ tergiverſatio graviſſimorum poſtea odiorum & bellorum origo fuit. Ad extremum cum Mathiam confirmatis in eum Hungarorum ſtudiis, ſolio deiici poſſe deſperaret Fridericus, numeratis ſibi ſexaginta Aureorum millibus, quos Nobilitas Hungarica de ſuo ære perſolvit, Diadema reſtituit, ea tamen adjecta conditione, ut ſi Mathias ſine ſobole maſcula decederet, quod reapſe deinde factum, Hungari ex Auſtriaca domo ſibi Regem eligerent, ſe nempe, vel aliquem e ſuis hæredibus: Pacta de hoc ſignata ſunt A. 1463. die 19. Julii. Hoc tractatu inito Fridericus Mathiam legitimum Regem agnovit; peſſime tamen hominem oderat, plurimumque impedimenti poſuerat, quo minus Bohemiæ Regno, cujus magnam partem armis occupaverat, potiretur. Hinc novæ ſimultates exortæ in bellum A. 1477. erupere. Mathias ſecundis uſus ſucceſſibus, ſi Viennam arctiſſime obſeſſam demas, univerſam Auſtriam Lincium usque ſui juris fecit. Hoc rerum ſuarum poſitu Cæſar eodem adhuc anno pacem a Mathia petiit, ac impetravit, ſat duris legibus; ut nempe centum aureorum millia in belli impenſas numeraret Fridericus, ac una iis, quæ reſtitutæ coronæ tempore acquiſierat, juribus renunciaret (*b*): ſic tum pax procurata rurſus

(*a*) Vide notitiam rerum Hungaricarum Tom. II. in rebus Ladislai Poſthumi Regis Hung. ubi ſimultatum cauſas omnes intelliges a pag. 192.

(*b*) Conſule Miechovitam in Chron. Reg. Polon. Lib. XXVIII. Gerardum de Roo Hiſt. Auſtr. Lib. VIII. & Annales Reg. Hung. P. Georgii Pray e S. J. ad annum MCCCCLXXVII.

rurſus violata fuit A. 1484. MATHIAS numeroſo cum exercitu FRIDERICUM aggreſſus, poſt Urbem Viennenſem, quæ diriſſima fame adacta, deditionem die 1. Junii ejusdem anni fecerat, expugnatam, univerſam Auſtriam; quin etiam Stiriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ loca nonnulla ſui juris fecit, captamque bello provinciam ad obitum uſque retinuit, extinctus Viennæ A. 1490. die 6. Aprilis. MATHIÆ CORVINO in Regno Hungariæ Procerum Electione ſuffectus fuit ULADISLAUS II. jam Bohemiæ Rex, CASIMIRI Poloniæ Regis ex ELISABETHA LADISLAI Poſthumi ſorore filius, ob ignaviam notatus. Hoc rerum potiente lætior FRIDERICO fortuna arriſit, poſtquam enim MAXIMILIANUS I. ejus filius Auſtria, ipſaque Metropoli Vienna recepta, complures Hungariæ civitates expugnaſſet, Hungari ad pacem Auſtriacæ domui utiliſſimam ineundam ſunt adacti. Illius hæc præcipua fuere capita: Uladislaus, ejuſque hæredes Regnum Hungariæ tranquille poſſiderent, his deficientibus; ad MAXIMILIANUM illiuſque poſteros devolveretur: ea tamen adjecta conditione; ut Hungaris liberum ſit, nulla habita primogenituræ ratione, quemcunque vellent ex Auſtriacis ſibi regem eligere. Ne autem pactio hæc in oblivionem aliquando venire poſſet, illud provide additum, ut Reges Hungariæ ULADISLAO ſucceſſuri, coronationis ſuæ tempore; Proceres autem Baroneſque Regni in novi Magiſtratus aditu, & jurejurando, & ſolenni Chyrographo caverent, ſe pacta hæc ſervaturos. His tabulis utrinque A. 1491. die 7. Novembris oratores ſubſcripſere. (*a*) Tractatui huic, qui Auſtriacis in Regni Hungariæ coronam juribus fauſtiſſimum initium dedit, biennio ſuperſtes FRIDERICUS Cæſar, poſtquam quinquaginta tres annos ſumma clementiæ, & manſuetudinis laude Imperio præfuiſſet, tranquille vitam clauſit Lincii A. 1493. die 19. Auguſti. Familiare FRIDERICO fuit Simbolum *Summam eſſe felicitatem rerum irrecuperabilium oblivionem*, quod tum maxime ingeminaſſe fertur, cum a MATHIA CORVINO Auſtria tota ſpoliatus Lincio excederet. Huic Imperatori Auſtriaci Principes acceptum debent inſignem ARCHIDUCUM AUSTRIÆ titulum (*b*) quem ſolenni edito diplomate A. 1453. ita ſtabilivit; ut apud univerſam poſteritatem in perpetuum uſum & ſtilum, ut vocant, curiæ tranſierit. Erat FRIDERICO Cæſari conjux ELEONORA EDUARDI Luſitaniæ Regis filia. Ex hac duas reliquit proles ſuperſtites: CUNEGUNDAM ALBERTO IV. Duci Bavariæ nuptam & MAXIMILIANUM hujus nominis I. Romanorum Imperatorem. Hic a morte Parentis & Imperii faſcibus, & Auſtriacis ditionibus omnibus potitus, rerum geſtarum magnitudi-



(*a*) Notitiæ rerum Hung. Tom. II. pag. 320.

(*b*) Honorificæ huic appellationi adjectæ ſunt ſingulares prærogativæ, uti ſunt: Creandi Nobiles, Barones, & Comites: Archiduces eo ipſo inveſtiri, quod inveſtituram petant, non expectata collatione, neque ditionibus ſuis ullo titulo ſpoliari poſſe &c. Hæc & alia lege ſis, in Gabrielis Schwederi J. U. D. commentatione de Præeminentiis, prærog. Juribus ac Privilegiis Seren. Domus Auſt. edit. A. 1722. Tubingæ.

ne nominis menſuram explevit, tantumque indefeſſa cura, & in conſequendis hæreditatibus felicitate, ſeu ſplendoris, ſeu potentiæ Auſtriacæ domui procuravit, ut merito poſt Rudolphum I. Habsburgicum Cæſarem *alter Auguſtæ Stirpis ſuæ conditor* appellari poſſit. Geſſit complura bella ſucceſſu non improſpero: Venetis potiſſimum infeſtus fuit; quod ejus in Italia progreſſionibus obicem ponerent. Itaque celeberrimum adverſus nobiliſſimam Rempublicam fœdus iniit Cameraci A. 1508. cum Ludovico XII. Rege Galliæ, Ferdinando Catholico, & Julio II. Pontifice, cui poſtea Uladislaum II. Hungariæ Regem adjunxit, quo ſic omni ex parte Venetos concluderet. Succubuere belli hujus principio Veneti, honeſtiſſimasque pacis conditiones Maximiliano obtulere, quas tamen ille uberioris ſucceſſus ſpe lactatus ſuperbe reſpuit, id quod ei a multis vitio datum: protracto enim diutius bello, nullo pene Maximiliani commodo finis impoſitus fuit. Veneti quippe multis largitionibus Aulam Hungaricam a belli ſtudiis abduxere: præterea Julium II. Pontificem adeo dextre ſibi conciliare noverant, ut is pertracto in ſuas partes Ferdinando Catholico & Henrico VIII. Rege Angliæ cum Helvetis, in Gallos poſtea Venetis arma conjunxerit, atque ſic tum nobiliſſima Respublica ruinam feliciter evaſit. Cæterum Maximilianus in adipiſcendis hæreditatibus, aut ſaltem ſtabiliendis ſucceſſionum juribus cumprimis fortunatus fuit. Goritienſem Comitatum, cujus jura dudum jam Auſtriacis & pactione, & mutuo ære eum in finem ſæpius dato aſſerta erant, Domui ſuæ ſubjecit Maximilianus poſt mortem Leonardi poſtremi (*a*) Goritienſium Comitis A. 1500. ſine ſobole extincti. Carolo Audace Burgundiæ Duce ad Nancejum a Renato II. Lotharingiæ Duce victo, cæſoque A. 1477. die 5. Januarii, ampliſſimam Belgii Provinciarum hæreditatem adivit, jure conjugis Mariæ, Caroli Audacis filiæ & hæredis unicæ. Hac anno 1482. die 28. Martii e vivis ſublata, deſponderat ſibi Maximilianus Annam Francisci Britanniæ Ducis ultimi filiam: verum ſpe ſua deluſus fuit a Carolo VIII. Galliæ Rege. Is e re Galliæ minime fore exiſtimans, ſurgentem tum æmulam ſibi Domum Auſtriacam Britanniæ acceſſione augeri, conſilio ſane quam inhumano, Margaretam Auſtriacam Cæſaris filiam, quam ſibi ante deſponderat, ac in ſpem Matrimonii apud ſe educabat, ad ſuos Domum remiſit, Annamque Britannam, tum forte ad Maximilianum abire parantem, adhibita vi, interceptam conjugio ſibi copulavit A. 1491. Injuriam hanc bello ultus eſt Maximilianus, paceque compoſita, Britanniæ loco Arte-

ſiæ

(*a*) Erat Meinhardo IV. Gorit. & Tyrolis Comiti frater Henricus, cui una ac poſteris Goritienſem Comitatum transſcripſit: atque ex hujus Henrici Comitis nepotibus fuit Leonardus, cujus Hæreditas ad Auſtriacos, qui per repetitos ſæpius tractatus Meinhardi hæredes evaſerant, recidere debuit.

ſiæ comitatum obtinuit. Tertio rurſus ad nuptias applicuit animum, duxitque Mariam Blancam Sfortiæ Galleacii Mediolanenſis Ducis filiam, ſed quæ nullam ei attulit ſobolem. Quanquam Maximilianus Cæſar omnium maxime in id intentus fuit, ut Hungariam ditionibus ſuis opportuniſſimam, Domui ſuæ copularet. Et vero magna cura opus fuit, ne pinguiſſimæ ſucceſſionis ſpe, quam nuperna pacta fecerant, ſubito excideret, (a) Hungariæ enim ordines Uladislai II. Regis ſui ignavia offenſi, 1505. die 28. Septembris Peſtinum ad habenda comitia coeuntes, poſt diuturnas deliberationes, ſolenne edidere ſenatusconſultum, præſentium omnium Juramento firmatum, quo cavebatur; ne poſt Uladislai obitum, ullus exterorum Principum ad ſolium Hungariæ evocaretur. Eo decreto ſe potiſſimum peti intelligens Maximilianus, continuo legatum Budam miſit, qui rei geſtæ ſeriem rationemque expoſceret. Uladislaus, ut erat ingenio adeo imbecilli, nil inde fraudis metuens, Cæſarem bono animo eſſe juſſit, confirmatisque pro parte ſua veteribus Anni 1491. pactis adjecit ſponſionem nuptialem, inter filiolam ſuam Annam, & alterutrum Cæſaris nepotem Carolum vel Ferdinandum Archiduces: ſed Maximiliani animo altius inhæſerat nuperum comitiorum Hungariæ decretum; quam ut jura ſua ſolius Uladislai conſenſione tuta putaret; & quia Hungaros mentem ſuam ultro retractaturos vix ſpes erat, numeroſo cum exercitu Hungariam ingreſſus, Poſonii aliquamdiu ſibi ſubſiſtendum putavit; ut Hungaris ſpatium deliberandi indulgeret. Eo belli ſtrepitu excitatus Uladislaus, continuo oratores ad Cæſarem miſit, priſtina fœdera renovaturos. At Cæſar futura ſagacius proſpiciens, negavit, ullam tractationem ſe admiſſurum, niſi univerſi Regni nomine caveretur, id quod utriusque partis oratores ſtatuiſſent; ratum habitum iri. Itaque comitia Albam Regiam convocata ſunt: quorum unanimi conſenſione oratoribus poteſtas data, de pace cum Cæſare tranſigendi. Nec mora negotium confectum, atque prior de Auſtriacæ Domus in Hungariam ſucceſſione tractatus, iisdem legibus & clauſulis ut ante confirmatus eſt A. 1506. die 19. Julii. Pactionem hanc faciliorem reddidit nuncius de neonato filio Ludovico, qui poſtea Parenti in Regno ſucceſſit. Sic tum tempeſtas omnis ingenti Maximiliani Cæſaris lætitia terminata fuit. Decennio prope inde evoluto, novum tractatibus his robur additum duplici ſponſione nuptiali. Cujus hæc fuit occaſio: Joannes Zapolyius Tranſilvaniæ Vaivoda a Ruſticis, quorum octoginta pene millia cædibus, rapinis incendiisque Regnum evaſtabant, domitis, ingentem laudem, gratiamque confecutus, factioſorum nonnullorum adulatione in ſpem regni ſe erexerat. Crevit deinde hominis ambitio per nuptias ſororis Barbaræ cum Sigismundo I. Rege Poloniæ, eoque demum proceſſit, ut Uladislai II. Regis ſui filiam

(a) De his, quæ ſequuntur lege notitiæ Rerum Hung. Tom. II. pag. 333. & 351.

filiam Annam conjugem ſibi depoſcere non erubeſceret; qua potitus nil dubitabat; fore ut ſibi præ Ludovico corona deferretur. Deſignationes hæ quia non latebant Hungaricæ Aulæ Adminiſtros, effecere inprimis, ut Regia Princeps Anna, quo tutior ab importuno proco eſſet, in Auſtriam tempeſtive translata apud Cæſarem educaretur; tum vero auctores fuere Uladislao, ut mutuis cum Auſtriaca domo affinitatibus tutum filio Ludovico ad ſolium iter præpararet. Quare Poſonium convenire juſſi ſunt Auſtriaci æque ac Hungari oratores; Illorum Princeps fuit Matthæus Gurcenſis tituli S. Angeli; horum autem Thomas Bakats ab Erdöd Strigonienſis Cardinalis. Mutuæ deliberationes A. 1515. die 20. Maii finem accepere, quarum hæc fuere capita: Annam Hungaram Uladislai filiam Carolus, vel Ferdinandus Archiduces intra anni unius ſpatium conjugio ſibi jungerent, id ſi quacunque de cauſa fieri non poſſet, Maximilianus Cæſar Avus, tum viduus, eandem Uxorem acciperet: ex adverſo Ludovico Regio Hungariæ Principi conjux intra idem tempus daretur Maria Philippi Castiliæ Regis filia, Cæſaris neptis. His ex ſententia confectis, Viennam ſe contulit Uladislaus II. Rex Hungariæ cum filio Ludovico, & Fratre Sigismundo I. Poloniæ Rege pactorum vade futuro. Summo honore tantos hoſpites accepit Maximilianus, atque ut eos arctius ſibi adſtringeret, ſolenni edito diplomate, Ludovicum Principem in Auſtriacam familiam adoptatum, ſuum in Imperio Romano Vicarium generalem nominavit, ac ſi Auguſta Domus Auſtriaca deficeret; in omnibus terris hæreditariis immediatum hæredem & ſucceſſorem conſtituit. Ut autem nuptialia pacta firmiora eſſent, Viennæ ad D. Stephani, nuptias benedicente Cardinale Strigonienſe, nepotum abſentium nomine Maximilianus ſibi copulavit Annam Hungaram, ea quam diximus, lege, ut ſua fieret conjux; ſi nepotes matrimonium inire nollent, vel non poſſent. Atque his viis præparata fuit Auſtriacis Hungaria, Ferdinandus enim reapſe A. 1523. Annam, Ludovicus autem A. 1521. Menſe Junio Mariam Auſtriacam conjuges accepere. Præter has jurium, & ditionum acceſſiones omnium longe opulentiſſima fuit ea hæreditas, quam per filium Philippum Pulchrum dictum domui ſuæ comparavit Maximilianus; illius enim induſtria factum fuit, ut filius Joannam Ferdinandi Catholici, Aragoniæ Regis & Isabellæ Caſtiliæ ac Legionis Reginæ filiam hæredem conjugem obtinuerit, per quod connubium Auſtriacis ad ampliſſima Hiſpaniæ Regna aditus apertus fuit (*a*). Romanorum Imperium Maximiliani I. Cæſaris memoriam potiſſimum tuetur decem Circulis, in quos ille Germaniam univerſam diſpeſcuerat. Atque his, aliisque, quæ ſilentio præterire cogimur, geſtis clarus

(*a*) Hinc enatus eſt celebris ille Verſiculus:
Bella gerant alii, tu felix Auſtria nube,
Nam quæ mars aliis; dat tibi regna venus.

Erneſtus II. *Ferreus* dictus Dux Auſtriæ † 1424.
Uxor I. Margareta Pomeraniæ Duciſſa improlis.
II. Cimburga Ziemoviti Maſſoviæ Ducis filia.

Margareta Auſtriaca
Fridericus Saxoniæ Dux Elect.

Catharina Auſtr.
Carolus I. March. Brandeb.

Albertus VI. D. A. dictus *Prodigus* † 1463.
Mechtildis Ludovici IV. Com. Palat. filia.

Erneſtus II. Dux Auſt. † 1432.

Fridericus V. Dux Auſtriæ Rom. Imp. dictus *Placidus*
Collator tituli *Archiducum Auſtriæ* 1453. † 1493.
Uxor Eleonora Eduardi Regis Luſitaniæ filia.

Maximilianus I. Archidux Auſt. Rom. Imp. † 1519. 12. Januarii
Uxor I. Maria Caroli Audacis Ducis Burgund. filia hæres.
II. Maria Blanca fil. Sfortiæ Ducis Mediol. *improlis.*

Cunegundis Archidux Auſtriæ.
Albertus IV. Dux Bavariæ.

Philippus *Pulcher* A. Auſtr. Dux Burgund. Rex Caſtiliæ † 1506. 25. Septemb.
Joanna Ferdinandi Cathol. Arrag. Regis & Iſabellæ Caſtiliæ & Legionis Reg. filia.
Univerſæ Monarchiæ Hiſpanicæ Hæres nupt. 1496. 21. Octob. † 1555. 13. Aprilis.

Margareta Archidux Auſtriæ † 1530.
Maritus I. Joannes Arragoniæ Princeps
II. Philibertus Dux Sabaudiæ.

Eleonora Archidux Auſtr. Inf. Hiſp.
I. Emanuel Rex Luſit.
II. Franciſcus I. Rex Galliæ.

Carolus V. A. A. Rom. Imp. Rex Hiſpaniæ † 1558. 21. Septemb.
*Hæres monarchiæ Hiſpanicæ jure Matris.*
*Vide* Tab. VIII.

Iſabella A. A. Inf. Hiſp. † 1526.
Chriſtiernus II. Rex Daniæ & Sueciæ.

Chriſtina Princip. Dan. Sueciæ.
Franciſcus I. Dux Lotharing. & Bari
*Vide* Tab. III.

Ferdinandus I. Archid. Auſt. Inf. Hiſp.
Rom. Imp. Rex Hung. Boh. &c.
Hæres Monarchiæ Hiſpanicæ jure Matris.
*Vide* Tab. IX.

Maria A. A. Inf. Hiſp. † 1558. 18. Julii.
Ludovicus II. Rex Hung. Boh. &c.
† ad Mohàts 1526.

Catharina Poſthuma A. A. Inf. Hiſp. † 1578.
Joannes II. Rex Luſitaniæ.

clarus MAXIMILIANUS vitam clauſit Velzii A. 1519. die 12. Januarii honorificentiſſimo tumulo conditus Neoſtadii. Præter tres filios, & ſex filias Naturales (a) in viduitate ſuſceptos non niſi geminas proles reliquit ex ANNA Britannica; MARGARETAM videlicet Belgii Gubernatricem repudiatam a CAROLO VIII. Galliarum Rege, poſtea JOANNI ARRAGONIO ac denique PHILIBERTO Sabaudiæ Duci copulatam, mortuam A. 1530. die 28. Martii, ac filium ampliſſimæ florentiſſimæque poſteritatis Parentem PHILIPPUM PULCHRUM, qui ob inſignes animi corporisque dotes *Amor & deliciæ generis humani* dici conſuevit. Anno ætatis ſexto ſupra decimum Belgio moderando præfectus fuit, ut artem gubernandi uſu ipſo condiſceret: biennio illic exacto, A. 1596. conjugem duxit JOANNAM FERDINANDI Catholici, & ISABELLÆ, hæredem univerſæ Hiſpaniæ, ſed cujus poſſeſſionem non ipſe, verum filii adiere: Arragoniæ enim quoad vixit, præfuit FERDINANDUS Catholicus, Caſtiliæ & Legioni ISABELLA: qua A. 1504. demortua, in Caſtiliam evocatus PHILIPPUS non diu rerum potitus, morbum ſibi, mortemque conſcivit imprudens. Cum enim pomeridiano tempore ſummis cæli caloribus, pilæ minoris luſu corpus in ſphæriſterio ad fatigationem uſque exercuiſſet, ſiti accenſus, frigidam ſibi infudit avidius, unde contracto morbo, magisque ſemper ingraveſcente, paucos intra dies valentiſſimus cetera Princeps, in ipſo ætatis flore extinctus fuit A. 1506. die 25. Septembris. Præmaturam ejus mortem cum Aula, & Provinciæ omnes; tum vero omnium maximo luctu proſecutus fuit Pater MAXIMILIANUS Imperator, qui eo plane tempore eundem Germaniæ Regem conſtituere parabat. Jacturam tantam, quantam in PHILIPPO fecit Auguſta Domus Auſtriaca, ſarſit nonnihil nobiliſſimarum prolium numerus & magnitudo, quarum ſingulis diadematis honor datus fuit. Juvat has ſecundum naſcendi ætatem recenſere. I. ELEONORA primis nuptiis EMANUELI Luſitaniæ Regi, ſecundis vero FRANCISCO I. Galliarum Regi copulata. II. CAROLUS Archidux Auſtriæ Infans Hiſpaniæ de quo §. ſequente. III. ISABELLA nuptui tradita CHRISTIERNO II. Daniæ & Sueciæ Regi, quorum filia CHRISTINA FRANCISCI I. Ducis Lotharingiæ conjux fuit. IV. FERDINANDUS Archidux Auſtriæ Infans Hiſpaniæ cujus poſteros §. VIII. daturi ſumus. V. MARIA LUDOVICI II. Hungariæ Regis uxor. VI. CATHARINA Poſthuma JOANNI III. Luſitaniæ Regi nupta.

§. VII.

(a) Naturales proles hæ paſſim recenſentur: I. GEORGIUS ab Auſtria Epiſcopus Brixin. Leodien: ac Valentinus Archiepiſcopus. II. LEOPOLDUS Cordubenſis Antiſtes. III. MAXIMILIANUS de Amberg. IV. ANNA uxor Ludovici Marcano Domini de Valberges, & Herlemont. V. DOROTHEA uxor Joannis Oſtfriſiæ Comitis. VI. ELISABETHA aliis Anna uxor LUDOVICI Comitis de Marca, Domini de novo Caſtro & Rochefort. VII. MARGARETHA uxor Comitis Hillii & Thauræ VIII. ANONYMA uxor Comitis Helfenſteinii. IX. BARBARA Monialis ſilvæ Ducis.

## §. VII.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo-Auſtriacæ a* Carolo V. *Cæſare hujus nominis I. Hiſpaniarum & Indiarum Rege, usque ad* Carolum II. *poſtremum Lineæ Auſtriaco-Hiſpanicæ, Regem Hiſpaniarum & Indiarum.*

Carolus V. Rom. Imp. & I. Hiſpaniarum Indiarumque Rex, amplitudine provinciarum, quibus præerat, potentia & rebus geſtis nulli domus ſuæ ſecundus Philippi Pulchri Caſtiliæ Regis filius, Burgundiæ, totiusque Belgii ac Hiſpanicæ Monarchiæ regimen ſuſcepit A. 1517. ætatis ſuæ XVII. Imperii dignitatem a morte Maximiliani I. conſecutus eſt A. 1519. Geſſit innumera bella, quibus fere ſemper ſuperior evaſit. Complures Principes captivos fecit. Franciscum I. Galliæ Regem A. 1525. in celebri ad Papiam Italiæ Urbem prælio, Clementem VII. papam ſibi infeſtum A. 1527. Romæ urbe expugnata, & direpta, Joannem Fridericum Electorem Saxoniæ, & Philippum Landgraphium Haſſiæ Lutheri cauſa arma movere auſos, in prælio ad Mülbergam A. 1547. Solimannum vero Turcarum Imperatorem ſola adventus ſui fama a Viennæ mœnibus profligavit. Sub hoc Cæſare enatum fuit celeberrimum illud Germaniæ ſchiſma Luthero duce. Qui nova hujus dogmata adoptarunt, Proteſtantes dicti ſunt propterea; quod A. 1529. interceſſerint Decreto Imperiali, Spiræ edito, quo jubebantur veteribus Eccleſiæ catholicæ placitis ſemet conformare. Quoniam autem factionis hujus Principes ad tuendas Lutheri partes arma corripuerant, Carolus V. armis pariter non ſine ſucceſſu fidei unitatem tueri pergebat. At poſtquam A. 1551. Mauritius Saxoniæ, & Joachimus Brandenburgi Electores univerſam Germaniam in belli ſocietatem exciviſſent, horumque fœderi Henricus II. Galliæ Rex Chriſtianiſſimus acceſſiſſet; tempori cedendum ratus Cæſar, celebrem Paſſavii A. 1555. die 2. Aug. pacem fecit, qua Proteſtantibus libertas conſcientiæ conceſſa, occupata bona Eccleſiaſtica permiſſa ac jus denique comitiorum aſſertum fuit. Ad extremum Carolus V. rerum humanarum faſtidio captus, A. 1555. die 25. Octobris Monarchiæ Hiſpanicæ gubernationem Philippo II. filio ſuo tradidit; Anno autem inſequente Imperii Romani dignitatem in Ferdinandum I. fratrem transſtulit, (*a*) quo tempore de ampliſſimis, quas ſeu paterno, ſeu materno jure gemini fratres poſſidebant, ditionibus ita conventum fuit: ut Caroli V. poſteri Hiſpaniarum, Indiarum, utriusque Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ Regna, Burgundiamque cum univerſis Belgii provinciis obtinerent; Ferdinandus vero, ejusque poſteritas Auſtriaco-Habsburgicas ditiones omnes in Germania

(*a*) Auſtriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Tyrolim &c. jam Anno 1521. ceſſerat Ferdinando fratri Carolus V.

mania perpetuo poſſiderent. Auſtriaco-Hiſpanicæ lineæ maſculis deficientibus, Ferdinandi Hæredes ſuccederent; ac viciſſim: nec niſi maribus utrobique extinctis, ſucceſſionum jura in fœminas transirent. Quæ pacta æquiſſima ſi obſervare placuiſſet poſt obitum Caroli II. Hiſpaniæ Regis ultimi, fatali ſucceſſionis bello liberati fuiſſemus. His tractatibus mutua conſenſione firmatis, Carolus V. Deo deinceps ſoli vacaturus, ſe in Monaſterium S. Juſti recepit, ibidemque A. 1558. die 21. Septembris vitam clauſit. Præter quaternas proles naturales (*a*) fuere Carolo V. ex Isabella Emanuelis Regis Luſitaniæ filia: Philippus II. Rex Hiſpaniæ. Tum Maria Maximiliano II. Imperatori, & Anna Regio Principi Luſitaniæ Joanni traditæ. Philippus II. Rex Hiſpaniæ geſſit complura bella adverſum Gallos, de quibus glorioſe triumphavit ſæpius, præſertim vero A. 1557. ad S. Laurentium. Adjecit Monarchiæ ſuæ præter innumeras regiones in Aſia & America; nominatim eas Inſulas, quæ ab ejus nomine Philippinæ dictæ ſunt. Demortuo Luſitanorum Rege Henrico absque liberis, regnum hoc jure Matris Luſitanæ invaſit, atque armis ſibi ſubjecit A. 1580. Gloriam Philippi Regis ex his acceſſionibus non mediocriter obſcuravere caſus ſiniſtri, qui eo imperante Monarchiæ Hiſpanicæ vires labefactarunt. Præfecerat Philippus II. Rex Belgicis Provinciis A. 1559. Gubernatricem Margaretam ſororem ſuam Caroli V. naturalem filiam Parmenſem dictam a Marito Octavio Farneſio duce Parmenſi. Ægre id ferentes Princeps Arauſicanus & Comes Egmontius, populum magna jam parte proteſtantem, ſacræque inquiſitionis ſeveritate offenſum concitavere; unde civile bellum exortum eſt, ingenti Hiſpanorum damno continuatum, quod Elisabetha Angliæ Regina fœderatis Belgis ære, milite, claſſibusque opitularetur. Et vero adverſus Anglos, quos domare parabat, Philippus II. omnium infeliciſſimus fuit A. 1586. prope Hiſpalim XXVI. naves Hiſpanicæ auro, gemmiſque divites ab Anglis exuſtæ ſunt. A. 1588. *Invincibilis* illa claſſis Hiſpanica tempeſtate disjecta periit; amiſſæ tum centum naves bellicæ, & XXV. millia virorum: jactura XXXVI. millionibus æſtimata. A. 1596. altera Hiſpanorum claſſis ab oceani undis hauſta eſt. A. 1597. tertia denique & poſtrema claſſis tempeſtate amiſſa, ſpem ademit Philippo II. de Anglis triumphandi. Tot bellis terra marique geſtis exhauſto ærario Regio, & privatorum facultatibus per exaggerata vectigalia diminutis, debilitatam Monarchiam Hiſpanicam ſucceſſoribus ſuis reliquit Philippus II. A. 1598. die 13. Septembris e vivis ſublatus. Quatuor ei fuere conjuges, I. Maria Joannis III. Luſitaniæ Regis filia. II. Maria Henrici VIII.

K 2 Angliæ

(s) Carolus V. genuit ex Nobili Flandra Margaretam primo Alexandro de Medicis: poſtea Octavio Farneſio Parmenſi Duci nuptam; ex Barbara de Blomberg Nobili Ratisbonenſi Joannem ab Auſtria Inſignem belliducem. Cet. vide in Taphographia Prin. Auſtriæ.

Angliæ Regis filia & hæres. III. Isabella Henrici II. Galliæ Regis filia. IV. Anna Maximiliani II. Imperatoris filia. Ex prima conjuge ſuſceptum Primogenitum Carolum attentati parricidii reum & Judicum ſententia, & ſuomet calculo Pater morti addixit A. 1568. die 24. Julii. Ex tertia conjuge mundo data eſt Isabella Clara Eugenia Belgii Moderatrix usque ad A. 1633. uxor Alberti Archiducis Auſtriæ. Ex quarta conjuge Auſtriaca natus fuit Philippus hujus nominis III. Rex Hiſpaniæ, Patrique in avitis regnis bellique tumultibus ſucceſſit. Hic cum infinito ære alieno gravaſſet ærarium, ſubditosque per graviſſimas exactiones ad ſummam egeſtatem redegiſſet, deficiente ad continuandum bellum Batavicum nervo, fœderatos Hollandos A. 1609. liberos pronunciare coactus fuit. Sic tum fœderati Belgii ordines in Rempublicam coaluere, mutataque repente ſcena, eorum, quorum jugum tanta cum ſanguinis profuſione excuſſerant, fidiſſimi poſtea utiliſſimique fœderati, Gallorum in Belgio Hiſpanico progreſſionibus obicem non raro poſuere. In tanta Monarchiæ Hiſpanicæ egeſtate Philippus III. profligato ſane conſilio, prope nongenta Maurorum millia, qui ſoli agriculturam exercebant, regno ejecit. Non reputabat nempe apud ſe improvidus Rex robur Monarchiæ conſiſtere in populi, præſertim ſi ſedulus ſit frequentia: horum enim induſtria parantur alimenta, cæteraque ad uſum vitæ neceſſaria; hinc leguntur milites; hinc denique fluunt vectigalia, ſine quibus adjumentis ſtare diu florentiſſima etiam regna nequeunt. Obiit Philippus III. A. 1621. die XXXI. Martii. Ex conjuge Maria Margareta Caroli Archiducis Auſtriæ, Ducis Styriæ filia, reliquit ſequentes proles. I. Philippum IV. in Regno ſucceſſorem, II. Ferdinandum S. R. E. Cardinalem Archiepiſcopum Toletanum. III. Annam Mariam Ludovici XIII. Galliarum Regis, & IV. Mariam Annam Ferdinandi II. Imperatoris conjugem. Philippus IV. Hiſpan. Rex pace, bello, & conjugio infeliciſſimus fuit. Collapſo ubique per Anglorum artes commercio, cum nil prorſus æris domum rediret, tanta exorta fuit penuria, ut Hiſpanis non luxus modo omnis; verum etiam rerum neceſſariarum uſus reſtringeretur. Malum longa imperantium incuria in dies magis propagatum, nulla jam arte reparari poterat. Primores Regni & Clerus copioſam auri vim Regi obtulerant, ſed quæ tot ſumptibus neceſſariis impar fuit. Cum nihilominus tributa increſcerent, Catalauniæ, Biſcayæ, Valentiæ, & Navarræ Regna Regis obedientiæ ſe ſe ſubduxere. Ferendum id fuit Philippo IV. quod non tantas haberet vires, ut vel ſubditos rebelles frangere poſſet. Hac opportunitate uſi Luſitani A. 1640. die 1. Decembris excuſſo Hiſpanorum jugo Joannem IV. Ducem Brigantiæ ſibi Regem elegere. Galli in Belgio, Angli in Indiis ex ruinis Monarchiæ Hiſpanicæ ſuas opes, ditionesque auxere. Sic ad ruinam impulſa Monarchia Hiſpani-

ca

ca A. 1665. die 17. Septembris ex hac vita deceſſit PHILIPPUS IV. Rex: ex duabus conjugibus quatuordecim liberos ſuſceperat, (*a*) ſed quorum non niſi tres reliquit ſuperſtites. Ex I. ELISABETHA HENRICI IV. Galliæ Regis filia genita fuit MARIA THERESIA LUDOVICO XIV. Galliæ Regi copulata, unde ſua poſtea in Hiſpaniam jura repetebat PHILIPPUS Bourbonius Andegavenſis. Ex Altera MARIA ANNA FERDINANDI III. Imp. filia in lucem edita eſt MARGARETA THERESIA LEOPOLDI M. Imperatoris Uxor prima, et CAROLUS II. poſtremus Stirpis Auſtriacæ Rex Hiſpaniæ. Hujus loco, triennis enim infans erat, vaſtiſſimæ Monarchiæ adminiſtrationem geſſit MARIA ANNA Mater, imperitisque uſa adminiſtris, nil prorſus ægre habenti Reipublicæ medicinæ attulit. Poſtquam ex ephebis exceſſit, CAROLUS II. ſuomet ingenio gubernare exorſus, nihilo meliores ſucceſſus habuit. Ærarii regii anguſtiis conſulturus A. 1678. publica Regni officia, quæ non niſi viris idoneis in rite conſtituta civitate credi ſolent, venalia propoſuit in Hiſpania æque, ac India; adeo ut ſummæ quæque dignitates: Vice-Regum, & Gubernatorum perſoluto ære a peſſimis hominibus occuparentur. Biennio poſt quod Hiſpani res maxime neceſſarias ab exteris redimere cogerentur, nil autem, quod venumdarent, adeſſet; deficiente pecunia, ad papyrum, merciumque commutationes recurſum fuit. Sublatæ adhæc penſiones omnes, imminutus Magiſtratuum civilium & Præfectorum militarium numerus: Aulicorum frequentia ad tertiam partem reducta, omnia denique adhibita remedia; quin tamen Regis, populique egeſtas levaretur. Eo demum malum evaſit, ut Hiſpani magno numero e patria emigrarint, alios autem conjugia inire tæderet; ne ſobolem inde procreatam in tantis miſeriis alere cogerentur; quo incredibile, quantum populi in Hiſpania frequentia imminuta fuit. Quapropter ſevero edicto emigratio prohibita, conjugiique ineundi uſus præmiis, aut etiam pœnis conſtitutis impoſitus. Ad cumulum malorum accedebat, quod fide jam publica Hiſpani carerent, adeo, ut non niſi exaggerato XV. a centum cenſu oblato, mutuam pecuniam a vicinis fœnori ſibi dari impetrarent. Sic dum ære militeque caret Hiſpania, non mirum eſt omnem pariter domi, foriſque ſecuritatem profligatam fuiſſe: Præter Catalaunos aliosque Hiſpaniæ populos, qui vivo adhuc Philippo IV. jugum excuſſerant, in Valentiæ & Sardiniæ regnis ſeditio ad ruſticos uſque propagata fuit. A. 1674. Siculi tot perturbationes pertæſi, LUDOVICUM XIV. Regem proclamarunt. A. 1680. Indi injuriarum, quæ a Prætoribus eis irrogabantur, non ferentes, ſeceſſionem fecere. Domeſtica damna cumularunt vicini hoſtes, dum Monarchiam omni præſidio deſtitutam impune diripiebant. Hollandi priusquam Hiſpanis fœdere jungeren-



(*a*) Naturales Philippi proles recenſentur ſequentes: JOANNES ab Auſtria Gubernator Belgii, JOANNES alter ab Auſtria M. Prior Caſtiliæ & Catharina Iſabella.

gerentur, & Angli multas in utraque India provincias Monarchiæ detraxerunt. Galli magnam Belgii partem ſui juris fecere. Has inter calamitates omnium maxima fuit Regiæ Stirpis orbitas: Carolus enim II. Rex neque ex prima conjuge Maria Aloysia Philippi Aurelianenſis Ducis filia, ſobolem ullam ſuſtulerat; neque ex altera Maria Anna Philippi Vilhelmi Comitis Palatino Neob. Electoris filia, ſpem ullam prolis habebat, imbecilla ſemper ac in deterius vergente valetudine uſus. De ſucceſſore ſollicito Regi, primus, ut oportuit, occurrebat Carolus Archidux Auſtriæ, Leopoldi Cæſaris filius, ad quem vi pactorum, quæ inter Carolum V. & Ferdinandum I. Hiſpanicæ Monarchiæ, jure materno, hæredes olim inita fuerant, ſucceſſio Hiſpanica recidere debebat. Orabat itaque Carolus II. Hiſpaniæ Rex Leopoldum Imp., ut filium ſuum Archiducem cum VI. millium exercitu, ſe adhuc vivo, in Hiſpaniam transmitteret. Verum cum Aula Viennenſis juribus ſuis quantumvis evidentibus innixa, nullum ſucceſſioni Hiſpanicæ obicem poni poſſe exiſtimat; ac idcirco Caroli Archiducis in Hiſpaniam iter procraſtinat, præter ſpem omnem pinguiſſima hæreditate excidit. Ludovicus XIV. Rex Galliæ, quo nepoti ſuo Philippo Andegavenſi duci viam ad ſolium Hiſpanicum præpararet, Marchionem Harcourtium, virum ad res magnas aggrediendas, & ingenio promptum, & eloquentia pollentem Madritum ablegat, immenſa pecuniæ vi ad largitiones faciendas inſtructum. Harcourtius Regis ſui vota ad amuſſim explevit; exquiſita enim magnificentia, profuſa in omnes humanitate, & liberalitate, brevi effecit, ut Hiſpani poſitis duorum ſeculorum odiis gallicam gentem æſtimare, amareque inciperent. His artibus cum alios Aulæ Madritenſis Adminiſtros; tum vero Cardinalem Portocarero & Ducem Methymnæ Cæleſtis ad partes ſuas pertraxit. Hi regem tot morbis exhauſtum, vitamque ipſam jam faſtidientem urgere non deſinebant, ut condito teſtamento, Philippum Andegavensem, Ludovici XIV. ex filio Delphino nepotem, Hiſpanicæ Monarchiæ hæredem ſcriberet, idque cauſa publicæ ſalutis; hoc enim ad ſolium evocato ajebant, aut bellum omne impeditum; aut ſi Auſtriaci movere ea propter auſint aliquid, facile potentiſſimi Regis Ludovici XIV. viribus propulſatum iri; ex adverſo ſi Carolum Archiducem hæredem conſtitueret, Galliam totis viribus obſtituram, bellique totam molem Hiſpaniæ, alioquin exhauſtæ, incubituram, non ſine extrema gentis totius ruina. His rationibus ne illico ſubſcriberet Carolus II. obſtabant ſtimuli conſcientiæ, vetantis, legitimum hæredem a ſucceſſione excludi; at non defuere Theologi, qui politicarum rationum pondere, ſuffulta Cardinalis Portocareri ſententia, culpam omnem excuſarunt. Omni autem prorſus metu ſolutus fuit Carolus II. poſtquam Romanæ curiæ, Gallis quam Auſtriacis magis propitiæ, judicio, Miniſterii ſui conſilia & rationum momenta pro-

bari

# ENEALOGIÆ AUGUSTÆ DOMUS HABSBURGO - LOTHARINGICÆ.

Tab. VIII. ad pag. 78.

Carolus V. Rom. Imp. Rex Hiſpaniarum Archidux Auſtriæ
Pater Lineæ Auſtriaco-Hiſpanicæ abdicat Imperii. 1556. † 1558. 21. Septemb.
Uxor Iſabella filia Emanuelis Regis Luſitaniæ. † 1539. I. Maii.

Philippus II. Rex Hiſp. 1598. 13. Septemb.
Uxor I. Maria Joannis III. Reg. Luſit. filia † 1545. 12. Julii.
II. Maria Henrici VIII. Reg. Angliæ fil. hæres † 1558. 17. Nov.
III. Iſabella Henrici II. Regis Gall. filia † 1568. 13. Octob.
IV. Anna Maximiliani II. Imp. filia. † 1580. 27. Octob.

Maria A. A. Inf. H. † 1528.
Maximilianus II. Imp.
*Vide* Tab. IX.

Joanna A. A. Inf. Hiſp. † 1537.
Joannes filius Regis Luſit.

Ex Uxore I. Carolus A. A. Inf. Hiſp.
a Patre morti addictus 1568.

Ex III. Iſabella Clara Eugenia A. A. Inf. H. 1633.
Albertus A. Auſtriæ.

Ex III. Catharina A. A. Inf. H. † 1597.
Philibertus D. Sabaud.

Ex IV. Philippus III. Rex Hiſpan. Archidux Auſtriæ † 1621. 30. Martii.
Maria Margareta Caroli A. A. Ducis Stiriæ filia † 1611. 3. Octob.

Anna Maria A. A. Inf. Hiſp. † 1666.
Ludovicus XIII. Rex Galliæ.

Philippus IV. Rex Hiſp. A. A. 1665. 17. Sept.
I. Eliſabetha Henrici IV. Gall. Reg. filia † 1644. 8. Octob.
II. Maria Anna Ferdinandi III. Imp. filia † 1696. 16. Maii.

Maria Anna A. A. Inf. Hiſp.
Ferdinandus III. Imperator.

Ferdinandus A. A. Inf. Hiſp. S. R. E. Card.
Archiepiſcopus Toletanus † 1641.

Ex Uxore I. Maria Thereſia A. A. Inf. Hiſp. † 1683. 20. Julii
Ludovicus M. XIV. Rex Galliæ.

Ex II. Margareta Thereſia A. A. Inf. Hiſp. † 1673. 22. Martii
Leopoldus I. M. Rom. Imperator Rex Hung. Boh. &c.

Ex II. Carolus II. Rex Hiſpaniæ A. A. nat. 1661. I. Novemb.
Ultimus lineæ ſuæ Auſtriaco-Hiſpanicæ, improlis † 1700. I. Novemb.
Uxor I. Maria Aloyſia Philippi Aurelian. Ducis filia † 1689. 12. Febr.
II. Maria Anna Philippi Wilhemi Comitis Palat. Neob. Electoris filia † 1740. 16. Julii.

bari intellexit. Itaque ultimis tabulis Philippum Andegavenſem Hiſpanicæ Monarchiæ hæredem ſcripſit; Carolo Archiduce expectare juſſo, donec Philippi poſteri maſculini ſexus deficerent. His actis immortuus fuit Carolus II. Auſtriacæ Stirpis poſtremus Hiſpaniæ Rex A. 1700. die 1. Novembris. Reſerato a morte Regis teſtamento Legatus Cæſareus Comes Harachius non ſine ſtupore intellexit, Philippum Carolo Archiduci prælatum eſſe (*a*); adeo enim clam negotium id geſtum fuit, ut nemo niſi factionis Gallicæ ejus conſcius ante fuerit. Nec mora Philippus Andegavenſis Pariſiis Rex proclamatus, Madritum venit, Regnique poſſeſſionem nemine reſiſtere auſo cepit: tum conciliatis ſenſim Hiſpanorum animis, regnum ſibi, poſterisque ſuis conſtabilivit. Appulerat quidem; ſed ſero nimis, quadriennio nempe poſt, in Hiſpaniam Carolus Archidux; verum difficultates opinione majores offendit; durum erat genti, novo Regi jam aſſuetæ, ad alterius iterum partes ſecedere. Atque hæc Caroli Archiducis diuturnior abſentia Auſtriacis Monarchiæ Hiſpanicæ jactura ſtetit. Si quis Caroli V. potentiam gloriamque cum Caroli II. Hiſp. Regis exceſſu contendat, quidni ſummam rerum humanarum inconſtantiam luce clarius intelligat?

## §. VIII.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo-Auſtriacæ a* Ferdinando I. *Imperatore Hungariæ, Bohemiæ &c. Rege, Archiduce Auſtriæ, uſque ad* Mathiam II. *Imp. Hungariæ, Bohemiæ Regem.*

Ferdinandus I. Philippi Pulchri Archiducis Auſtriæ & Joannæ Hiſpaniarum hæredis filius ſecundo genitus, Stirpis Auſtriacæ apud nos imperantis, omniumque quos ad Carolum VI. venerati ſumus, Imperatorum feliciſſimus Pater fuit. Is jura, quæ pactis, inter Hungaros & Maximilianum I. Imp. A. 1491. & 1406. initis, domui ſuæ acquiſita erant, firmaturus, conjugio ſibi junxit An. 1521. die 5. Maii Annam Uladislai II. Hungariæ Regis filiam Ludovici II. Regis ſororem unicam. In fatali ad Mohatſium pugna A. 1526. die 29. Auguſti amiſſo

(*a*) Admonendus hoc loco Lector de ſingulari ſcriptorum Gallicanorum artificio, quo utuntur, ad elevandum Jus Caroli VI. in Hiſpaniam, ut enim oſtenderent Philippo Andegavenſi, cujus Avia Maria Theresia Philippi IV. Regis Hiſp. filia fuit, propinquiora fuiſſe jura, quam Carolo VI. noſtro, hujus ſucceſſionis repetunt a Maria Anna Philippi III. Hiſp. Regis filia, quæ Ferdinandi III. Imp. uxor fuit. Atque iſtud cum adducunt, ſilentio prætereunt, validiſſima illa ſexus maſculini jura, quæ utique fœmininis anteponenda ſunt. Sed nemo ignorat Carolum VI. ex Philippo Pulchro Caſtiliæ Rege, & Joanna Monarchiæ Hiſpanicæ hærede per ſeriem maſculinam ortum duxiſſe, ac idcirco legitimum, præ fœminis, fuiſſe hæredem Hiſpaniæ. Hoc ad eorum temporum lites rite intelligendas adnotare oportuit. Vide quæ ſupra diximus pag. 75.

amiſſo Rege Ludovico, nemini certius fuit jus in vacantem Hungariæ & Bohemiæ thronum, quam Ferdinando noſtro. Bohemiam quidem cum Moravia, Sileſia, Luſatiaque facile obtinuit; verum ad Hungariam paulo difficilius iter nactus fuit. Cum enim negotiorum Imperii cauſa tum abeſſet Ferdinandus in Germania; Joannes Zapolyius Tranſilvaniæ Vaivoda, ea abſentia in rem ſuam uſus, facile ab ordinibus Regni ſibi faventibus impetravit, ut mox poſt Ludovici Regis interitum, Rex Hungariæ electus, die 11. Novembris ejusdem anni S. diademate Regni Albæ Regiæ inauguraretur, ſceptrumque ſibi conſtabiliret. Interea Maria Regina Ludovici vidua, & Palatinus cum magna procerum parte veteribus pactis inhærentes, per nuncios, & literas non deſinebant orare Ferdinandum, ut mora omni abrupta, in Hungariam advolaret. Verum ille juribus ſuis nimium confiſus reditum ſuum ultra modum differebat: quæ mora caro illi poſtea ſtetit. Quod unum interim abſente Ferdinando fieri poterat, Stephanus de Bathor Palatinus conventum Regni Poſonii habuit, in quo Joannis Zapolyii electioni & inaugurationi ſolenniter interceſſum; abſensque Ferdinandus Rex electus proclamatusque fuit. Adulta demum æſtate anni inſequentis 1527. Viennam redux Ferdinandus ſubinde in Principe Regni urbe Buda ad diem 6. Octobris comitia indixit, quibus ipſe præſedit. In his unanimi præſentium magno numero Procerum voto, exauctorato, hoſteque Reipublicæ declarato Joanne Zapolyio, Ferdinandus Rex agnitus, paucis poſt diebus Albam Regiam in conjugis Annæ & Sororis Mariæ Reginarum, & Ordinum Regni comitatu profectus, die 3. Novembris ſumma pompa D. Stephani diademate inſignitus fuit (*a*). Hunc in modum Hungariæ, Bohemiæ, & cæterarum eo ſpectantium provinciarum (*b*) poſſeſſione adita, Ferdinandus per omnem vitam innumeris curis & laboribus exercitus fuit: in Germania Religionis diſſidiorum; in Hungaria vero Turcarum cauſa. Æmulus quidem Joannes Zapolyius bello victus profligatusque Hungariam, & Tranſilvanam Regionem omnem Ferdinando cedere coactus, in Poloniam ſe ſe receperat, verum non multo poſt Solimannus exulem ſub ſuam protectionem receptum, regno reſtituerat, terrore ad Viennæ usque mœnia ſparſo, unde A. 1529. & præſidiariorum virtute, & Caroli V. adventus fama rejectus, domum rediit. At Ferdinandus poſt hanc expeditionem Turcarum vires metuens,

(*a*) Conſule Iſtvanſium, Urſinum Velium, Annales Regum Hungariæ ac noviſſime notitiam Rerum Hung. Tom. III. a pag. 20. Illud hic obiter lectori inſinuandum: Poſtremus Regum Hung. fuit Ferdinandus, cui coronationis ſolennia Albæ Regiæ ſunt impenſa: Inauguratio enim deinceps Poſonii fieri conſuevit.

(*b*) Ad Hungariæ, quæ tum partes Tranſilvanicas ſuo ſinu complectebatur, Coronam ſpectabant: Dalmatia, Croatia, Sclavonia, Rama, ſeu Raſcia, Servia, Bosnia, Gallicia, Lodomeria, Cumania, Bulgaria, Valachia, Moldavia. Ad Bohemiam vero Sileſia, Luſatia & Moravia.

tuens, temporique cedendum ratus, pacem cum Zapolyio iniit ea lege, ut hic vita comite dimidiam Hungariam cum Tranſilvanis partibus teneret, ab ejus vero obitu univerſa Hungaria ad ſe devolveretur cum Buda Regni metropoli. Utiliſſima pax ſi obſervata fuiſſet! Verum a morte Joannis Zapolyii, vidua Iſabella Regina filio infanti Joanni Sigismundo, adverſus pacta omnia, regnum ſervare certa, nullo pacto induci potuit, ut Budam Ferdinando reſtitueret. Quin ut ſe adverſus juſtam vim legitimi Regis tueretur, deteſtando ſane, & funeſto Hungaris conſilio, Solimannum in auxilium evocavit A. 1541. Adfuit quidem ſpecioſus viduæ Reginæ pupillique protector; verum mutato repente conſilio, occupata per fraudem Budenſi arce, Iſabellam Reginam promiſſis oneratam ad Tranſilvanas Hungariæ partes diſcedere juſſit. Atque ex hoc tempore a reliqua Hungaria avulſa regio Tranſilvania ſeparatos deinceps principes habuit, ordinum ſuffragiis electos: neque prius, quam ſub Leopoldo Cæſare A. 1690. ad obſequium rediit. Solimannus autem ex eo die dominatus ſui ſedem Budæ fixit, validiſſimoque præſidio, & mænibus firmiſſimis locum communivit, unde geſto deinceps bello Solimannus, ejusdemque ſucceſſores limites ſuos egregie protendebant, adeo, ut ſi montanam, quæ ſeptemtrionem reſpicit, & Auſtriæ vicinam plagam demas, majori Hungariæ parti poſtea dominati fuerint. Ferdinandus eam nobiliſſimi regni direptionem ferre debuit; nec enim jam Domi vires hoſtibus retundendis pares erant; nec ex Germania religionis diſſidiis miſere deflagrante quidquam ſubſidii ſperari poterat. Itaque oblato annuo 30. mille Aureorum tributo, pacem a Turcis mercatus, dimidiam prope Hungariam cum Illyrico ſibi ſucceſſoribusque Hungariæ Regibus aſſeruit, quos deinceps ex ejus poſteris primogenitos venerati ſumus. Quamvis autem Hungaris ex tractatu Anno 1491. cum Maximiliano inito, liberum fuerit quemcunque ex Auguſta Domo ſibi Regem deligere, probe tamen gnari, vires unitas fortiores eſſe, Primogenito ſemper coronam detulere; id quod apud Bohemos pariter factum fuit. Quanquam ut hoc ſecurius obtineretur, ſolenne habuere Auſtriaci Reges, ut in vivis adhuc filios, ſucceſſoresque ſuos in Hungaria, Bohemiaque coronari procurarent, dum denique utrumque hoc Regnum in hæreditarium Auguſtæ Domus Auſtriacæ, diverſis tamen legibus, & temporibus tranſiit. Illud etiam Ferdinandi pietati, & providentiæ debetur, quod Auſtriaci nunquam interrupta ſerie, Imperio Romano præfuerint inde a Ferdinando I. uſque ad A. 1740. Volente Carolo V. Cæſare jam A. 1531. Rex Romanorum creatus, ſubinde A. 1556. Fratri in Imperio ſucceſſit Ferdinandus: neque ad accipiendam Coronam Romam ut Romana curia volebat, profectus eſt, quod exemplum omnes deinceps in Imperio ſucceſſores imitati ſunt, evitaveruntque ea omnia incommoda; quæ ex eo

Cæſarum cum Pontificibus Romanis conſortio non raro enata fuiſſe, plena eſt exemplis vetuſtior ætas. Quam difficile Ferdinandi Regnum fuerit, notius eſt eorum temporum hiſtoriæ peritis; quam ut a me explicari oporteat. In maximis nihilominus & Eccleſiæ, & Imperii ſui perturbationibus eum ſe ſe exhibuit Ferdinandus, ut ſcriptorum conſenſione optimi ſollicitiſſimique Principis laudem tulerit. Speciatim autem vel apud hoſtes æſtimata fuit ejus in promiſſis fides, quam ſemel datam nunquam violavit: appoſite ſane ad ſuum ſymbolum: *fiat juſtitia, aut pereat mundus.* Cum vires defluere ſenſiſſet Ferdinandus, Maximilianum primogenitum inaugurari procuravit. A. 1562. Bohemiæ quidem Regem die 20. Septembris, Romanorum vero Francofurti die 24. Novembris: Anno autem inſequente, Rex Hungariæ electus, ſacroque diademate D. Stephani incinctus fuit Poſonii die 8. Septembris. Triplici hoc ſolatio fruitus Ferdinandus pie deceſſit Viennæ A. 1564 die 25. Julii Pragæ pone conjugis Annæ Hungaræ oſſa tumulo illatus ad S. Viti Martyris. Ex fauſtiſſimo hoc conjugio 15. proles ſuſcepit Auguſtus Pater, quarum pleraſque ſuperſtites reliquit; nos ſingulas ſeorſim recenſebimus: I. Eliſabetha Sigismundo II. Poloniæ Regi nupta. II. Maximilianus I. Rom. Imp. Hung. Boh. &c. Rex, de quo inferius, III. Anna conjux Alberti V. Bav. Ducis, ex qua Electores Bavari originem traxere. IV. Ferdinandus Archidux Auſtriæ Comes Tyrolis mortuus A. 1595. die 24. Januarii ſepultusque Oeniponti. Claruit militari fortitudine, egregiamque & Patri, & Fratri præſertim contra Turcas bello navavit operam. Huic ex prima conjuge Philippina Velſera natus fuit 1) Andreas ab Auſtria S. R. E. ſub titulo S. Mariæ novæ Cardinalis, Epiſcopus Conſtantienſis ac Brixinenſis. Mort. Romæ A. 1600. die 12. Nov. ſepultus ibidem in æde S. Mariæ de Anima. 2) Carolus ab Auſtria Archidux Auſtriæ S. R. Imperii Marchio Burgoviæ, Landgravius Nellemburgi, nulla relicta ſobole ex Sybilla Duciſſa Juliacenſi, mortuus A. 1618. die 31. Octobris ſepultus Günzburgi. Conjux altera Catharina Vilhelmi Mantuæ Ducis filia peperit Ferdinando Tyrolenſi, 3) Annam Catharinam ſanctimonialem Oeniponti in monte ſacro, & 4) Annam Mathiæ II. Imperatoris Hungariæ & Bohemiæ Regis conjugem. V. Imperatoris Ferdinandi filia Maria nupſit Wilhelmo Duci Juliacensi. VI. Magdalena S. Monialis Halæ ad Oenum. (*a*). VII. Catharina Uxor Francisci III. Ducis Mantuæ. VIII. Eleonora pariter Mantuæ Ducis Wilhelmi Uxor. IX. Margareta S. Monialis Halæ ad Oenum. X. Joannes Archidux A. in Infantia mortuus.

(*a*) Magdalena hæc Archidux cum ſororibus ſuis: Margareta, & Helena Halæ ad Oenum, ſub Regii collegii nomine, Parthenonem inſtituit A. 1562. ſub cura P. P. S. J. etiamnum inſigni obſervantiæ laude florentem.

tuus. XI. Barbara nupta Alphonſo II. Ferrariæ Duci. XII. Carolus Archidux Auſtriæ, Dux Styriæ lineæ Stirenſis propagator, de quo §. VIII. acturi ſumus. XIII. Ursula in Infantia deceſſit. XIV. Helena S. Monialis Halæ ad Oenum. XV. Joanna Francisco I. Florentiæ Duci tradita. Filiorum Ferdinandi I. Imperatoris primogenitus Maximilianus hujus nominis II. Rom. Imperator Hung. Boh. &c. Rex ad cæteras virtutes Principe dignas, adjecit militarem fortitudinem. Ubi primum Regni Hungarici poſſeſſionem adiit, promiſſum Turcis a Patre ſuo tributum annuum velut majeſtate ſua indignum pendere detractavit. Qua repulſa irritati Turcæ, cum bellum totis viribus pararent; Maximilianus pariter ſumma diligentia ad vim propulſandam ſe ſe communivit. Fratri ſuo Carolo Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque cura commiſſa, ipſe cum Ferdinando fratre altero in Hungariam ad Caſtra prope Jaurinum ſita deſcendit, bellum cum eodem adminiſtraturus: rebus non improſpere geſtis, tantam apud Turcas fortitudinis laudem conſecutus fuit, ut ii antiquato tributi onere, honeſtiſſimis utiliſſimisque conditionibus inducias cum eo pepigerint A. 1567. in octennium, quæ poſtea diutius adhuc prorogatæ ſunt. Quo Germaniam, diviſis religionis cauſa ſtudiis, magis in dies laborantem quietam ſervaret, atque una pecuniæ militumque ſubſidia adverſus Turcas facilius ab Imperii ordinibus impetraret, indulgentem admodum ſe ſe præbuit Proteſtantium poſtulatis: conſimilem indulgentiam adverſus Proteſtantes Bohemos, Hungarosque præſetulit. Cupiverat magnopere Maximilianus, quo certiorem forte ſibi poſterisque redderet Hungarici Regni poſſeſſionem, Hungariam Imperii Romano-Germanici Regnis, juribusque accenſeri; verum huic conſilio non modo Hungari; verum ipſi imperii Ordines obſtitere, veriti ne, ſi Hungariam corporis germanici partem facerent, ad ejus defenſionem ex veteri inſtituto ære militeque ſuccurrere cogerentur. Atque huc potiſſimum ſuo illo conſilio reſpiciebat Maximilianus, quod ad bellum Turcicum precibus potius, quam imperio ſubſidia, eaque avare admodum impetrarentur ex Germania, cum tamen ab Hungariæ ſalute illius ſecuritas penderet. Diuturnas, quæ inter Daniæ, & Sveciæ Regem interceſſere lites, arbitrio ſuo compoſuit Maximilianus A. 1570. Facta poteſtas Dano Sveciæ inſignibus utendi; ita nihilominus; ut omni in Sueciam jure ſemet abdicaret. Henrico II. Andegavenſi Poloniæ Rege ad occupandum Regnum Galliæ abeunte, Senatores Poloni coronam detulere Maximiliano I. Cæſari A. 1575. Verum dum ille ſecum deliberat: ſibine, an filio Ernesto Archiduci regnum afferat? dum inaugurationis cauſa Cracoviam, quo crebris nunciis evocabatur, abire tergiverſatur, Poloni eam moram contemptum ſui interpretati, Stephanum de Bathor Tranſilvaniæ Principem evocavere ad ſolium; qui nulla interpoſita mora in Poloniam delatus, ducta conjuge Anna Sigismundi I. Regis

 ſorore,

ſorore, Cracoviæ inauguratus fuit Calendis Maii A. 1576. Fruſtra huic electioni poſtea interceſſit MAXIMILIANUS; fruſtra filium ERNESTUM eo expedivit. Id genus munera, ut ſunt regnorum diademata, quo rarius offeruntur, quoque pluribus expoſita ſunt viciſſitudinibus, eo promptius acceptanda ſunt. Certe hæc MAXIMILIANI tergiverſatio, qua Auſtriacis tam potentis regni adipiſcendi occaſio e manibus elapſa fuit, nunquam a culpa excuſari poterit. Novimus quanta ſanguinis profuſione vel exiguæ ditionis aquiſitio ſæpe conſtiterit? Et vero graviter eam jacturam tulit MAXIMILIANUS, bellumque ERNESTI filii cauſa Polonis inferre parabat; ſed hæc conſilia mors intercepit, A. 1576. die XII. Octobris Francofurti, ubi RUDOLPHI filii ſui primogeniti in Regem Romanorum inaugurationi Anno abhinc calendis Novembris interfuit, poſtquam eum ab Hungaris Regem eligi, & coronari A. 1572. die 25. Septembris; a Bohemis autem A. 1575. die 22. Septembris vivens adhuc procuraſſet. Corpus defuncti Pragam devectum, ad Patris, Matrisque oſſa repoſitum fuit. Ex MARIA CAROLI V. Filia numeroſam progenuit ſobolem MAXIMILIANUS ac nominatim quinque filios ſibi ſuperſtites, quorum tamen nemo, mira ſane Superum providentia, Auguſtam Stirpem propagavit. Nos ſingulas proles ſuo ordine huc adſcribemus. I. ANNA PHILIPPI II. Hiſp. Regis Uxor. II. FERDINANDUS A. A. in infantia obiit A. 1552. III. RUDOLPHUS Rex Hung. Boh. Rom. Imp. II. de quo paulo inferius nonnulla dicemus. IV. ERNESTUS A. Auſtriæ, Hung. & Belgii Gubernator, a Poloniæ Regno excluſus cælibem vitam clauſit A. 1595. die 20. Februarii ſepultus Bruxellis. V. ELISABETHA nupta CAROLO IX. Galliarum Regi. VI. MARIA Archidux in infantia deceſſit. VII. MATHIAS Rex Hung. & Boh. Rom. Imp. I. Fratri ſuo RUDOLPHO improli ſucceſſit, de quo inferius. VIII. MAXIMILIANUS Archidux Auſtriæ Ordinis Teutonici Magiſter, Armorum in Hungaria ſuperiore Caſſoviæ Præfectus, multis annis adminiſtrato contra Turcas bello, ac nominatim inſigni ad Kereſztes prope Agriam A. 1596. die 26. Octobris de Mahomete Turc. Imperatore victoria reportata clarus. STEPHANO BATHORIO Poloniæ Rege demortuo, a juſta Senatorum parte Rex electus MAXIMILIANUS, cum ad occupandum ſolium Cracoviam exiguo cum exercitu proficiſcitur, a Samoiſcio Regni Cancellario, qui factionis adverſæ caput fuit, prope vicum Pitſch, in Sileſia victus captusque A. 1588. non prius dimiſſus eſt, quam poſtquam & ipſe & RUDOLPHUS Imp. ſuo, Auguſtæque Domus Auſtriacæ nomine cunctis in Poloniam juribus renunciaſſent. Quo tempore juribus S. Coronæ Hungariæ nec renunciavere Auſtriaci, nec ſi voluiſſent poterant, ſine Ordinum Hungariæ conſenſu, Regno adhuc electionis libertate gaudente. Obiit MAXIMILIANUS 1618. die 2. Novembr. IX. ALBERTUS cognomento Pius in Aula PHILIPPI II. Hiſpaniæ Regis educatus, clero nomen dederat, factus S. R. E. Cardi-

nalis

nalis, Luſitaniæque Gubernator; at a morte PHILIPPI II., mutato conſilio, purpuram poſuit, junxitque ſibi matrimonio ISABELLAM CLARAM EUGENIAM PHILIPPI I. filiam, quacum dotis nomine Belgium accepit. Præfuit Belgis ingenti cum prudentiæ, & æquitatis laude, cætera inter Oſtendam poſt triennii oppugnationem expugnavit. Verum Hollandis fœderatis prævalentibus, inducias cum iis A. 1609. paciſci coactus fuit, quo tempore Batavorum Reſpublica primum ſumſit exordium. Obiit ſine ſobole A. 1621. die 16. Julii ſepultus Bruxellis. X. WENCESLAUS A. A. mort. Madriti A. 1578. die 20. Sept. XI. FRIDERICUS A. A. XII. MARIA. XIII. CAROLUS A. A. XIV. ELEONORA in Infantia obiere. XV. MARGARETA poſt obitum Parentis ſui MAXIMILIANI cum Matre MARIA in Hiſpaniam profecta ſpretis mundi illecebris ordinem S. CLARÆ ingreſſa, MARGARETA a S. CRUCE dicta fuit, ubi inſigni ſanctimonia vitæ coruſcans vitam poſuit A. 1633. die 5. Julii (*a*). Atque hæ fuere MAXIMILIANI II. Cæſaris proles. Harum primogenitus RUDOLPHUS II. Imperator Hungariæ & Bohemiæ Rex, ut erat ingenio excellente, ſummas de ſe ſpes fecerat ſubditis, quas tamen minime poſtea explevit. Poſtquam enim totum ſe chemicis liquationibus, & diſciplinis Mathematicis Tichone celeberrimo id temporis Aſtronomo duce tradidiſſet, adeo literarium otium adamavit, ut huic reipublicæ curas poſthaberet. Quo autem ſecurius ſibi vacare poſſet, fixo Pragæ domicilio, MATHIAM Archiducem vicaria poteſtate Hungaris præfecit, qui & quotidianis de republica conſultationibus, & comitiis Regni præſideret. Hunc inſuper bello ad Danubium; MAXIMILIANUM vero fratrem ad Tibiſcum adminiſtrando ſummo cum imperio Ducem conſtituit. Neque male id cecidit: utriusque enim Archiducis auſpiciis complures de Turcis reportatæ ſunt victoriæ, urbes, arcesque expugnatæ. RUDOLPHI curis effectum, ut Tranſilvania a Turcarum ſocietate abducta Hungariæ arctiſſimis fœderibus conjungeretur, quæ ut pactio firmior permaneret, tradita fuit SIGISMUNDO de BATHOR Tranſilv. Principi MARIA CHRISTIERNA CAROLI Archiducis A. Ducis Stiriæ filia (*b*) ſed optima hæc conſilia corrupit incredibilis SIGISMUNDI BATHORII inconſtantia, ac noviſſime STEPHANI BOTSKAJ ambitio, qui ſpecioſo religionum proteſtantium, & libertatis vindicandæ prætextu, univerſam Tranſilvaniam, & Hungariam aſſumtis in ſocietatem Turcis armavit. Seditio hæc, quæ Domus Auſtriacæ imperio finem portendebat, MATHIÆ Archiducis, qui gentis animos longo uſu ſibi cognitos inſigniter tractare noverat, prudentia ſopita fuit per pacem Viennenſem A. 1606. die 23. Junii. Eodem imperante RUDOLPHO, gravi-



(*a*) Venerabilis hujus virginis vitam conſcripſit Joannes de Palma, qui illi a confeſſionibus fuit.

(*b*) De his temporibus conſule Iſtvanfium Volfgangum de Bethlen, & poſt cæteros Notit. Rerum Hung. Tom. III.

graviſſimus Ruſticorum tumultus exortus fuit in Auſtria religionis cauſa, non ſine multa ſanguinis humani effuſione; omnium autem graviſſima fuit ea ſeditio, quam MATHIAS Archidux in RUDOLPHUM concitaverat. Cum & ipſe Cæſar cælibem vitam duceret, & Fratres pariter nullam ſpem poſteritatis facerent, provide ſane RUDOLPHUS FERDINANDUM CAROLI Archiducis Stiriæ ducis filium ſucceſſorem deſtinabat, quod conſilium etiam PHILIPPO III. Hiſpaniæ Regi probabatur, qui Matris ſuæ ANNÆ Auſtriacæ cauſa, quidpiam ſibi juris in Auſtriacam ſucceſſionem arrogabat. Quapropter RUDOLPHUS, FERDINANDI opera uti cepit, præſertim in Romani Imperii negotiis. Gravius id tulit MATHIAS, quam oportuiſſet, itaque pro muneris ratione; vices enim agebat Cæſaris in Hungaria & Auſtria gubernanda, opportunitatem nactus cum Auſtriacis & Hungaris agendi: cum aliis promiſſis; tum vero liberi exercitii proteſtantibus indulgendi oblata ſpe, præcipuos utriusque gentis in ſuas partes pertraxit. Nec mora: conflato ex Auſtriacis & Hungaris exercitu Pragam profectus, S. Coronam Hungariæ illic deliteſcentem repetiit. RUDOLPHUS etſi graviter ea fratris agendi ratione commoveretur; futura tamen mala proſpiciens, & quietem publicam ſuis anteponens doloribus, Auſtriacos & Hungaros ab fidelitatis lege ſolutos pronunciavit, MATHIÆQUE imperio transſcripſit, Hungariæ diademate ejus manibus conſignato. MATHIAS re citra ſanguinis effuſionem geſta, lætus in Hungariam revolans, unanimi ordinum ſuffragio Rex electus, ac Anno 1608. die 19. Novembris coronatus, Hungariæ, & Auſtriæ poſſeſſionem cepit. RUDOLPHUS autem vitam produxit uſque ad A. 1612. quo die 20. Januarii obiit Pragæ, ad S. Viti tumulo illatus. MATHIAS poſt mortem fratris RUDOLPHI Bohemiam adeptus, Romanorum Imperator ſalutatus fuit. Poſtquam autem ſe in ſolio confirmatum vidit, cepit ſolito Auſtriacis Principibus zelo, Proteſtantium libertates aliquantum reſtringere: quæ res poſtea funeſtis motibus, in Bohemia, poſt ejus obitum exortis, occaſionem dedit. Cum ex ANNA FERDINANDI A. A. Comitis Tyrolenſis filia nullam ſobolis ſpem eſſe cerneret, ipſe pariter RUDOLPHI exemplo FERDINANDUM CAROLI A. Ducis Stiriæ filium ſucceſſorem deſtinavit, & quia futuras ab obitu ſuo tempeſtates præſagiebat, A. 1617. apud Bohemos; inſequente autem apud Hungaros Regem eligi, coronarique impetravit, cui etiam A. 1619. die 20. Martii Viennæ moriens turbatam admodum reliquit rempublicam. Hunc in modum extincta MAXIMILIANI II. Imperatoris virili Stirpe, Provinciarum omnium ſucceſſio ad ejus fratris CAROLI Archiducis A. Ducis Stiriæ filium FERDINANDUM devoluta fuit, atque de hujus CAROLI poſteris nunc nobis ſermo erit.

§. IX.

# GENEALOGIÆ AUG. DOMUS HABSBURGO-LOTHARINGICÆ.

Tab. IX. ad pag. 86.

**Ferdinandus I.** Rom. Imp. Rex Hung. Boh. A. A.
*Pater Lineæ Secundæ Auſtriaco-Germanicæ.*
Nat. Compluti. 1503. 10. Mart. ſuccedit in Auſtr. terris 1521.
Factus Rex Hungariæ & Bohem. 1527. Rex Rom. 1531.
Imperator. 1556. † 1564. 25 Julii.
Uxor Anna Princ. Hungara filia Uladiſlai II. Regis Hung. Boh. &c. nat. 1503. 23. Julii. nupt. 1521. 5. Maii † 1547. 27. Auguſti.

---

Eliſabetha A. A.
† 1545. 15. Junii
Sigismundus II.
Rex Poloniæ.

**Maximilianus II.** R. Imp. Rex H. Boh.
nat. 1527. 1. Aug. Rex Germ. Boh. 1562.
Hung. 1563. R. Imp. 1564. † 1576. 12. Octob.
Maria A. A. Inf. Hiſp. Caroli V. filia
† 1603. 6. Febr.

Eleonora A. A.
† 1594. 5. Aug.
Wilhelmus Dux
Mantuæ.

Anna A. A.
† 1587. 18. Octob.
Albertus V. Dux
Bavariæ.

Ferdinandus A. A. Comes Tyrolis
† 1595. 24. Januar.
Uxor I. Philippina Velſer Nob. Auguſtana
† 1580. 24. Aprilis.
II. Anna Wilhelmi Ducis Mant. filia.
† 1620. 3. Aug.

Maria A. A.
† 1587.
Wilhelmus Dux
Juliæ.

Catharina A. A.
† 1572. 28. Febr.
Franciſcus Dux Mant.
Sigismund. II. Rex Pol.

Joanna A. A.
† 1578.
Franciſcus Dux
Hetruriæ.

Magdalena A. A.
Halæ † 1590.
Margareta A. A.
ibid. † 1567.
Helena A. A.
ibidem † 1574.
Moniales.

Barbara A. A.
† 1572.
Alphonſus Dux
Ferrariæ.

**Carolus** A. A. Stirenſis
Vide Tab. X.

---

*Children of Ferdinandus A. A. Comes Tyrolis:*

Ex I. Andreas ab Auſtria.
S. R. E. Card. Epiſcopus
Conſtant. Brixinenſis
† Romæ 1600. 12. Nov.

Ex I. Carolus ab Auſtria
March. Burgoviæ
† 1618. 31. Octob.
Sibilla Duc. Juliaci.

Ex II. Anna Catharina A. A.
Monialis Oeniponti
† Halæ.

Ex. II. Anna A. A.
† 1618. 14. Dec.
Mathias II. Rom. Imp.

---

*Children of Maximilianus II.:*

Anna A. Auſtriæ
† 1580. 26. Octob.
Philippus II. Rex Hiſp.

Rudolphus II. Rom. Imp.
n. 1552. 18. Julii, factus
Rex Hung. 1572. Boh. &
Rom. 1575. Imp. 1576.
† cœlebs 1612. 12. Janua.

Erneſtus A. A.
Locumten. Reg.
Hung. Gubern.
Belgii. Cœlebs.
† 1595. 20. Febr.

Mathias II. R. Imp.
n. 1557. 24. Febr.
Rex Hungar. 1608.
Bohem. 1611. Rom.
Imp. 1612. † 1619.
20. Martii.
Anna A. A. filia
Ferdinandi A. Auſtr.
Comit. Tyrolenſis
† 1618. 14. Decemb.

Maximilianus A. A.
Armor. Præſes in Hung.
Super. M. Mag. Ord. Teut.
† cœlebs 1618. 11. Nov.

Albertus A. A.
Belgii Princeps † 1621.
13. Julii.
Iſabella Clara Eug.
fil. Philippi II. Reg. Hiſp.

Eliſabetha A. A.
† 1592. 22. Janua.
Carolus IX. Reg. Gall.

Ven. Margareta a S. Cruce
Monialis. Madriti † 1633.
5. Julii.

## §. IX.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo-Auſtriacæ a* Carolo *Archiduce Auſtriæ Stiriæque Duce, usque ad* Leopoldum *M. Rom. Imperatorem Hungariæ Bohemiæ &c. Regem.*

Ferdinando I. Romanorum Imperatori, ut ſuperiore §. enarravimus, tres fuere filii ſuperſtites. Maximilianus II. Rom. Imp., Ferdinandus A. A. & Carolus A. A. hos inter omnem Auſtriacam hæreditatem hunc in modum partitus fuit: Maximiliano, qui in Imperio, Hungaria, & Bohemia ſucceſſurus erat, ſolam adjecit Auſtriam, Ferdinandum Tyrolis Comitem, & aliarum in Suevia Habsburgicarum ditionum dominum conſtituit. Carolo denique A. 1564. menſe Aprili Stiriam, Carinthiam, Carnioliam, Goritiam &c. attribuit jure hæreditario ad poſteros tranſituro. Ex hoc poſtremo Carolo A. A. Stiriæ &c. Duce propagata fuit illa Auſtriacorum linea, quam Stirenſem appellamus, unde reliqui poſt Ferdinandum II. Cæſares Regesque omnes usque ad Auguſtam MARIAM THERESIAM hodie regnantem ſuam ducunt originem. Maximilianus Imperator Carolum Stirensem Fratrem ſuum rei militari in Dalmatia, Croatia & Sclavonia procurandæ præfecit, quod munus ei Rudolphus ingenti rei Chriſtianæ commodo confirmavit. Memoriam Viri bello non minus, quam religione clariſſimi tuetur Arx ea in Croatia, quæ a conditore ſuo Carolo-Stadium hodiedum audit. Quantus pietatis ſtudiis fuerit, filii Ferdinandi II. ſanctimonia ſatis, ſuperque teſtatur. Elisabethæ Angliæ Reginæ oblatas ſibi nuptias ob conditiones catholicæ fidei injurias generoſe reſpuit, fidem SS. rebus terrenis anteponens. Fundavit Academiam Græcenſem. Obiit A. 1590. die 10. Julii Seccoviæ in Stiria ſepultus. Conjugem habuit Mariam Alberti V. Bavariæ Ducis filiam, quindecim ut ſequuntur liberorum Matrem. I. Ferdinandus infans obiit A. 1571. II. Anna Sigismundi. III. Poloniæ & Sveciæ Regis Conjux, ex qua præter tres filios natus fuit Uladislaus IV. Patris in Regno Poloniæ ſucceſſor. III. Maria Christierna primum Sigismundi de Bathor S.R. J. & Tranſilvaniæ Principis Uxor; eo autem demortuo, S. Monialis Halæ ad Oenum in Collegio Regio. IV. Catharina Renata Duci Parmenſi deſponſa. V. Elisabetha Virgo. VI. Ferdinandus II. Rom. Imp. Hung. Boh. Rex, de quo pluribus paulo inferius. VII. Carolus infans obiit A. 1580. VIII. Gregoria Maximiliana Philippi III. Hiſp. Regis Sponſa. IX. Eleonora S. Monialis Halæ ad Oenum in Coll. Regio V. V. X. Maximilianus Ernestus A. A. Ordinis Teutonici Magiſter, ab adoleſcentia ſua militiæ contra Turcas laboribus exercitus obiit An. 1616. die 18. Februarii ſepultus Seccoviæ. XI. Maria Margaritha Phi-

LIPPI III. Regis Hiſp. Uxor. XII. LEOPOLDUS Archidux Auſtriæ. Hic primum clero nomen dederat, factus Epiſcopus Paſſavienſis, & Argentinenſis, ſubinde autem accedente ſedis Apoſtolicæ conſenſu, reſignatis nepoti ſuo LEOPOLDO WILHELMO beneficiis conjugem accepit Claudiam FERDINANDI de Medicis M. Ducis Hetruriæ filiam. Quamdiu Eccleſiis præfuit, etſi ſacerdotio initiatus nunquam erat, nil tamen ſeduli paſtoris omiſit. Viget illius memoria etiamnum in Molshemienſi Academia in Alſatia inferiori, & Friburgenſi in Brisgoia, quas ære ſuo fundavit. Militari etiam laude florentem complures victoriæ teſtantur. Extincta penitus FERDINANDI A. A. Tyrolenſis Comitis poſteritate, Comitatum hunc cum Habsburgicis ditionibus patrimonii nomine a fratre FERDINANDO II. Imp. obtinuit, alterique non diu tamen florenti Lineæ Tyrolenſi initium dedit. Obiit A. 1632. die 13. Septembris ſepultus Oeniponti. Reliquit paternas proles ſuperſtites 1). FERDINANDUS CAROLUS A.A. Comes Tyrolis magnam ditionum avitarum diminutionem paſſus fuit. Galli enim durante tricennali religionis bello, Alſatiam Brisgoviam, Herciniamque eripuerant; per pacem autem monaſterienſem A. 1648. Brisgoviam cum Hercinia, & quatuor oppidis Silveſtribus Rhenofelda, Segginga, Lauffenburgo & Valdishuto, receperat quidem FERDINANDUS A. A., at Briſacum cum Alſatia adjacente LUDOVICO XIV. cedere coactus fuit. Obiit A. 1662. die 30. Decembris: relictis ex conjuge ANNA Medicea Coſmi II. M. Ducis filia geminis filiabus, MARIA MAGDALENA, quæ conjugii expers vixit; & CLAUDIA FELICITATE, quæ poſtea LEOPOLDI M. Imperatoris ſecunda Uxor fuit. 2) ISABELLA CLARA CAROLO III. Mantuæ Duci tradita. 3) SIGISMUNDUS FRANCISCUS A. A. Comes Tyrolis, Burgoviæ, cæterarumque Rheno adjacentium ditionum Habsburgicarum hæres poſt fratris obitum; ante autem Epiſcopus Gurcenſis, Auguſtanus, & Tridentinus. Poſtquam A. 1665. ſacris dignitatibus abdicatis, animum ad nuptias applicuiſſet, priusquam lectiſſima ſponſa HEDWIGIS CHRISTIANI Auguſti Comitis Palatini Solisbacenſis filia adduceretur, eodem A. 1665. die 25. Junii ætatis 38. apoplexia ictus obiit Oeniponti. 4) MARIA LEOPOLDINA FERDINANDI III. Imperatoris Uxor ſecunda. Hic Tyrolenſis LEOPOLDI lineæ finis fuit. XIII. CAROLI Stirenſis proles fuit CONSTANTIA SIGISMUNDI III. Regis Poloniæ conjux ſecunda, e qua præter alios natus eſt JOANNES CASIMIRUS ſtrenuus olim in Caſtris cæſareis belli Dux, poſtea vero A. 1648. ad ſolium Poloniæ evectus: at cum ſe improlem videret, ipſe Polonis auctor fuit A. 1661. die 4. Julii in Comitiis Varſaviæ, (a) ut ſibi ſucceſſorem legerent, quo ſubinde impetrato ſeptennio poſt, abdi-

(a) Hac occaſione elegantem ad ſuos ſermonem habuit Caſimirus, ac illa, quæ nunc in Polonia fieri videmus, prænunciavit. Titulus ſermonis ſic habet. *Propoſitio Sacræ Reg. Majeſtatis Poloniæ, ratione faciendæ Electionis habita in ſenatu, abſentibus nunciis terreſtribus, durantibus regni comi-*

abdicato Regno in Galliam diſceſſit Deo uni vacaturus. XIV. Maria Magdalena Uxor Coſmi II. M. Ducis Hetruriæ. XV. Carolus Josephus Poſthumus Epiſcopus Vratislavienſis Brixienſis, Magiſter ordinis Teutonici. Rexit Ferdinandi II. Fratris nomine Sileſiam, unde ad Luſitaniam gubernandam a Philippo

*comitiis Varſaviæ* 4. *Julii A.* 1661. Inſerta autem eſt hæc propoſitio Regia pag. 66. libello cui titulus: *Diſcurſus Politicus, de cauſis, & remediis malorum Poloniæ, editio ſecunda Cracovienſi longe correctior, & aliquantum auctior. Qualis in ædificando, plantando, volando; talis in judicando libertas: hac fundatur regnum, & floret Reſpublica.* Anno CIↃIↃCLXI. Nec propoſito quidem noſtro; nec materiæ convenit hæc Caſimiri oratio, ut tamen cum aliorum multorum votis, tum vero Excellentiſſimi D. Comitis Auctoris voluntati faceremus ſatis, eam ad verbum huc inſeruimus. Sic autem habet:

Si cujus, certe neceſſum eſt, meæ inhæreat memoriæ illud axioma, quod optima peperit conſideratio perſpectiſſimi viri Politici. *Principes mortales Reſpublica immortalis.* Et quis quæſo mortalitati magis eſt ſubjectus, quam is, qui ad longam annorum ſeriem appropinquat, cui Deus ex chariſſimis poſteris nullas delicias largitur, & qui e linea familiæ ſuæ ultimum ſe recenſet? Viciſſim Reſpublica, quæ optime ſibi conſulere novit, mori nequit: tot filiis delectatur, quot numerat Equeſtris ordinis homines: ubi ultimus in domo non datur, ubi omnium Domus unica eſt Patria. Tantummodo unicus in Rempublicam maxime gravis accidere ſolet caſus, quando capite ſuo privatur, quando funeſtum interregnum inter animorum ſimultates inter haud levem rerum confuſionem, propinquam ruinam minatur. Quod dum mecum conſidero, ductus affectu, & amore erga hanc patriam animadvertens ſenectutis meæ gradum & corporis ſanitatem quotidianis defatigationibus, ac incommoditatibus enervatam, nec non mecum id bene ponderans, quod me aliquando ordo tanget æternitatis viam ingredi, nisi optarem hanc Remp cauſui opponi: & eam ob cauſam Propoſitionem in materia Electionis me adhuc ſuperſtite Dominationibus veſtris ad conſiderandum dedi. Nemo exiſtimet hanc cogitationem nunc primum in animo meo natam eſſe, ſiquidem jam ab annis ſeptem, ſtatim poſt deceſſum fratris mei, videns improlem me eſſe, imo extra omnem ſpem ſuſcipiendæ prolis poſitum, confeſtim intendebam talia Dominationibus veſtris proponere, niſi me tum temporis irruptio Suecorum, ac alia Reipublicæ graviſſima bella interturbaſſent; dum vero in præſentiarum omnipotens Deus benigniſſimo oculo ſuo vos aſpexerit & hæc feliciora tempora vobis impertitus ſit, ita ut nunc melius tutiuſque nobis invicem conſulere poſſimus; exiſtimarem ego, ne tam neceſſaria deliberatio differatur, tantum me adhuc vivente ſucceſſorem eligere velitis. Jam ducenti fere anni ex parte Materna, & ſeptuaginta ex parte Paterna computantur, ex quo libera electione Dominationum veſtrarum hocce in Throno Domus mea eſt conſtituta. Quamobrem id mihi exopto grati animi monumentum in mentibus Dominationum veſtrarum relinquere, ut hancce Rempublicam in eodem ſtatu, ac in eadem libertate, in qua eandem ab Anteceſſoribus prævia Dominationum veſtrarum voluntate recepi ac inveni, poſt fata mea iterum redderem, relinqueremque Dominationibus veſtris. Quod ipſum ægre forſitan accidere poſſet, ſi quando Dominationes veſtræ ultima fata mea expectare vellent. In tanta enim poſt mortem meam confuſione ſubdubitarem ego, an in poteſtate foret Dominationum veſtrarum, poſſe Dominum libere electum habere? Sit mihi Deus teſtis, quam ego hac in parte nihil privati ſpectem, verum Patriæ hujus ſolum commodum: quippe poſt mortem meam omnium ego fata mea mecum traham. Aſt Veſtræ Dominationes quarum aliqui ſoli, aliqui in poſteris veſtris vitam producetis, ita vobis tempeſtive conſulere velitis, ac ſi exoptaretis veſtram proſperam memoriam poſteris relinquere. Poſſet mihi quisquam objicere, non eſſe rem ſine exemplo, nimirum reges antehac ſine prole vivere deſiiſſe, ac inde nihilominus Reipublicæ nullam ruinam ſuperveniſſe. Neque diffiteor ita rem

po III. Hiſpaniarum Rege evocatus, paucis poſt diebus ab adventu ſuo vivere deſiit Madriti A. 1624. die 26. Decembris. Porro FERDINANDUS II. CAROLI Stirenſis filius Hungariæ Bohemiæque Rex non niſi poſt MATHIÆ Imperatoris mortem A. 1619. die 19. Septembris Electorum ſuffragio Imperium adiit. Turbata admodum nactus fuit Regni initia, mox enim in apertum prodiit celebris Bohemorum & Auſtriacorum cum Hungaris, & Tranſilvanis proteſtantibus confœderatio, qua ſe ad mutuis viribus jura religionumque libertatem defendendam jam ſub RUDOLPHO Cæſare Botskajano bello durante obſtrinxerant. Primi Auſtriaci Proteſtantes in Principem ſuum arma ſtrinxere conſcientiæ libertatem poſtulantes. Eorum primipili Duce Thonradl eo audaciæ proceſſere, ut in aulam ſe ſe penetrantes, Cæſarem conviciis laceſſere, turpiter ludibrio habere, admotis manibus inurbane huc illuc vellicare non reformidarint, confœderationis ſuæ viribus confiſi: ſed hæc Viennenſium ſeditio brevi ſopita fuit, poſtquam Cæſari omni humana ope deſtituto, præter omnem ſpem, ſubſidio venere adducti a Dampierio Cataphracti Equites, quibus juventus Academica correptis armis ſe ſe conjunxit, vi-

tam

rem ſe habere, niſi quod ab illis temporibus diverſa longe inpræſentiarum ſint tempora. Tum temporis circa antiquam ſimplicitatem majorum animorum unio eſſe poterat: ac Reſpublica in tanta confuſione, ſtatuumque diffidentia, non exſtitit, quam quidem nunc exſiſtit. In animis hominum, vicinorum inprimis, tales ambitiones non fuere, neque tales privati reſpectus ad hoſtilitates. Nondum ullis cognitio tum patebat, ſive de potentia noſtra, ſive de defectibus noſtris, cum Principes de Patria noſtra minus fuerant ſolliciti, illam forte ante putantes minus excultam, minusque opulentam: nunc omnes in ipſam oculos ſuos convertunt, & procul dubio de eadem concurrent. Tum temporis nullus erat exercitus ſtipendiarius, & ſi quis fuit, paratæ pecuniæ ſtipendia merebat, hinc tale periculum nullum erat, ut alter alteri per potentiam Dominum imponeret. Utinam ſim falſus vates! metuendum vobis eſſe, ne Reſpublica in diviſionem gentium abeat. Moſcus & Ruſſi tentabunt magnum Ducatum Lithvaniæ avellere ad ipſos uſque fluvios Bug & Narew dictos, & vix non ad viſtulam fluvium. Elector Brandeburgicus occupabit animum ſuum circa majorem Poloniam, aliosque ſibi proxime limitaneos Palatinatus, certabitque de potioritate circa utramque Pruſſiam. Domus quoque Auſtriaca cogitationes ſuas circa Cracoviam, ſibique proxime vicinos Palatinatus intendet. Quis ſponſor eſt de proprio Exercitu noſtro, cui tot ſtipendia debentur, ne hunc quiſpiam aureo hamo ad ſe, & quidem non ad mentem Reipublicæ, pertrahat; aut ſi is confœderationem iniverit, ne per potentiam Dominum imponere audeat? veluti jam in nuper præterita electione ejuſcemodi rumores ad aures noſtras delati ſunt. Coſaci etiam ſomnum excutiendo invigilabunt, ut ei, cui id e re futurum exiſtimaverint, circa hanc intentionem auxilio eſſe poſſint. Quo circa dominationes veſtræ hoc ipſum quam optime perpendere velint. Quod ſi vobis ita curæ cordique eſt conſervatio gloriæ Dei & ſacroſanctæ hoc in regno fidei, nec non ubertatum ac integritatis Patriæ, velut id muneris veſtri eſſe debet, mihi ſufficiet, quod poſtponendo ſecuritatem propriæ perſonæ meæ, neque ullam rationem habendo metus ejus, qui ab aſſignato ſucceſſore merito in me cadere poſſet, voluntati dominationum veſtrarum id inſinuaverim, ut de vobis tempeſtiva conſilia capere potueritis. Hoc ipſum ſive jam acceptetis, ſive negligatis, exoneratam hac in parte conſcientiam habebo, quod dominationibus veſtris bene cupiverim optimeque cupiam.

tam piiſſimi principis tuitura. Verum incendium illud, quod omnes pene provincias jam corripuerat, reſtingui amplius non potuit. Bohemi exauctorato Ferdinando, Fridericum Palatinum Electorem Regem ſibi inauguravere. Eodem tempore, ut Ferdinandi vires diſtraherentur, Gabriel Bethlenius Tranſilvaniæ Princeps ingenti cum exercitu Hungariam inundavit. Eo loci adductis rebus, cum omnes actum putarent; Ferdinandus ſumma in Deum fiducia fretus, minime deſpondit animum; quin potius ſumma ſolertia ſe ſe ad defenſionem comparavit, qua in re rara ſane in eo eluxit animi magnitudo. Et favit undique circumvento Principi Deus. Bohemi enim cum Hiberno ſuo Rege Friderico A. 1620. die 8 Novembris internecina clade ad Pragam victi, profligatique a Maximiliano Bavaro Belliduce, leges deinceps arbitrio victoris accipere juſſi ſunt. Ferdinandus Fridericum caſtigaturus, ex Electoris dignitate dejecit, eidemque Maximilianum Bavarum ſurrogavit jure ad poſteros tranſituro. Gravi hac pœna, etſi æquiſſima vehementer offenſus Fridericus, univerſos pene Imperii Principes Proteſtantes in Cæſarem concitavit, evocato in ſubſidium Christierno IV. Daniæ Rege. Verum Cæſar etſi pluribus in locis vires diſtractas haberet, feliciſſime de fœderatis triumphavit. Vallensteinii enim Belliducis virtute Christiernus mox victus, ac ex omni Germania ejectus, pacem a Cæſare poſtulare coactus fuit; hoc autem profligato, cæteri fœderati Principes multis cladibus affecti ditionibus ſuis ſpoliati ſunt. Saxonia, Megalopolitanus ducatus, Holſatia, Bremenſis regio, ac quidquid inter oceanum, mare Balthicum, ac Albim terrarum interjacet, victricibus Cæſaris armis ſub jugum miſſum fuit. Unde poſtea per exacta belli jure vectigalia Cæſareis pecuniæ nervus accrevit. Ferdinandus hunc in modum edomitis fœderatis hoſtibus, edito decreto præcepit, ut qui ad eum diem eccleſiaſtica bona uſurpaſſent, ſine mora legitimis dominis reſtituerent. Hoc decreto & tantis Cæſaris progreſſionibus conſternati fœderati, veritique, ne totam ille Germaniam porro ſibi ſubjiceret, Gustavum Adolphum Suecorum Regem a domitis Ruſſis ingens nomen conſecutum in auxilium excivere. Ipſe Ludovicus XIII. Galliæ Rex, adnitente Cardinale Richelio, huic fœderi non dubitavit accedere: ratus hoc tempus opportuniſſimum fore, Auſtriacam domum deprimendi. Quare toto hoc belli tempore non modo pluribus exercitibus in Belgio, & Italia rem ſtrenue geſſit adverſus Auſtriacos, verum etiam Svecum, fœderatosque Germaniæ Principes ære ſuo conſtanter adjuvit. Hoſtium fœderatorum viribus per Svecos & Gallos auctis, paulo difficilius bellum evaſit. Poſtquam Sveci cruentam de Tillio cæſareo Duce A. 1631. ad Lipſiam reportavere victoriam, fortunæ opportunitate uſi, torrentis inſtar Bavariam, Palatinatum ac Sveviam diripiendo emenſi, duas prope tertias Germaniæ ſui juris fecere.

Ferdinandus nil his calamitatibus fractus, inſigni conſtantia bellum proſecutus, nova ex Hungaria, Auſtria, cæterisque provinciis militum ſupplementa ſubmiſit; quibus confirmatus, quem Tillio ſuffecerat, Dux Vallenſteinius Suecos e Moravia, & Bohemia in Saxoniam rejecit. Lætiores hos ſucceſſus corrupit memorabilis illa clades, quam A. 1632. die 16. Novembris ad Lucenam Saxoniæ ſuperioris oppidum accepere Cæſarei, (a) cujus tamen jacturam ſupplevit Guſtavi Adolphi mors, eodem in prælio interfecti. Poſt hanc cladem graviſſima Cæſari injecta fuit ſuſpicio de Wallenſteinio Duce, quod Tyrannidem affectaret: cujus hæc occaſio fuit, Viennenſe conſilium bellicum vetuerat quidquam ſuo injuſſu aut adverſus ideas ſuas bello geri. Vallenſteinius ſuæ ſcientiæ, & rerum uſui confiſus negabat ſe inſtructionibus ejusmodi pariturum, ſed arbitrio ſuo, ut occaſio tulerit bellum adminiſtraturum; cumque offenſo ea propter ſupremo illo ſenatu, audiſſet imperio in copias ſe privandum; quo dignitatem in gratiis ſenatus bellici retineret, Legionum tribunos ad obligandam ſibi jure jurando fidem adegit, eo facto confirmata ſuſpicione, quoniam periculum in mora videbatur, Aulæ juſſu in Caſtris ad Egram A. 1634. die 15. Februarii clam cæſus fuit, imperiumque copiarum Ferdinando III. Hung. Regi Cæſaris filio occupandum reliquit: cui Legatus additus Galaſius multarum palmarum heros. His Ducibus felicius continuatum fuit bellum, quo Ferdinandus III. Rex inſignem illam A. 1634. die 6. Septembris ad Nordlingam Sveviæ urbem reportavit de Svecis victoriam. Etſi enim nondum debellatum fuit eo prælio, vehementer nihilominus attritæ fuerant Svecorum, & fœderatorum Principum vires, ut adeo captata hinc occaſione Saxoniæ, & Brandeburgi Electores anno inſequente cum Cæſare in gratiam redierint; qua opportunitate effectum, ut Ferdinandus III. Romanorum Rex eligeretur. Hac ratione Ferdinandus II. Imperator, cum adverſarii tot una conjurati, eum ſuccubiturum putarent, paulo altius domum ſuam Auguſtam evexit, ſubjectas ſibi provincias ab hoſtibus non ſine fœnore vindicatas ſibi ſucceſſoribusque conſtabilivit. In quo quidem miranda Dei fideles ſibi Principes tuentis providentia eluxit: Illud certe notatu dignum eſt, Turcas, qui ea ætate inducias pro libitu violare non ſibi religioni ducebant, nulla ratione a Gabriele Bethlenio induci potuiſſe, ut bellum Cæſari inferrent, unde factum, ut Bethlenius, qui ſpe Hungariam devoraverat pacem tempeſtive inire coactus fuerit A. 1628. Hoc loco res Ferdinandi erant, cum A. 1637. die 15. Februarii non ſine ſanctimoniæ opinione ad ſuperos abiit,

(a) In hoc prælio ſingularia fortitudinis edidit ſpecimina Legio Equeſtris Joannis Petri Coronini. Præterea Ludovicus Coroninus Marchionis Gonzagæ legatus ſtrenue pugnans ſiniſtram manum amiſit. Hæc ad Excell. D. Comitis Auctoris familiæ commendationem huc inſerere placuit.

abiit, Græcii in Sacello S. Catharinæ tumulo illatus, pone oſſa primæ conjugis Mariæ Annæ Vilhelmi Bavariæ Ducis filiæ, quæ ſola lectiſſimæ ſobolis Mater fuit; Eleonora enim Mantuana liberorum expers vixit. Præter Christianam filiam in infantia, & Joannem Carolum in adoleſcentia defunctos quaternas reliquit Ferdinandus II. Imp. proles ſuperſtites. I. Ferdinandus hujus nominis III. Imperator Patris in ſolio ſucceſſor, de quo inferius. II. Maria Anna Maximiliano I. Electori Bavariæ recens creato nuptui tradita. III. Cæcilia Renata Uladislai IV. Poloniæ, & Sveciæ Regis uxor. IV. Leopoldus Vilhelmus Archidux Auſtriæ Epiſcopus primum Argentinenſis, Paſſavienſis, Halberſtadienſis, Olomucenſis deſignatus Magdeburgenſis, Magiſter Ordinis Teutonici, Bohemiæ, & Belgii Gubernator: Præfuit ſummo cum Imperio exercitui Cæſareo contra Gallos, Suecos, & fœderatos Imperii Principes, non ſine nominis ſui gloria, & Auguſtæ domus ſuæ commodo. Terminato denique bello tricennali cælibem vitam pie traductam clauſit Viennæ A. 1662. die 20. Novembris. Ferdinandus III. Rom. Imp. Hung. Boh. Rex Patri ſuo non in Regnis modo, verum etiam in bello ſucceſſit, quod decem ipſos annos alternante fortuna continuavit: principio Galaſio Duce, poſtea vero fratre ſuo Leopoldo Wilhelmo belli Imperatore. Hujus auſpiciis A. 1643. die 25. Novembris triumphatum fuit de hoſtibus ad Tutlingam ditionis Virtenbergicæ oppidum: Cladem Cæſareis reddidere fœderati ad Lipſiam A. 1644. ſed quam Anno inſequente cumulate vindicavere Cæſarei ad Mariendalium in Franconia. Toto hoc bello egregiam Auſtriacis navavit operam Carolus III. Lotharingiæ Dux, ea propter a Richelio Cardinale univerſis pene ditionibus ſpoliatus. Bellum enim hoc e religionis diſſidiis ortum commutata repente facie ad deprimendam Auſtriacæ domus potentiam, Galliamque augendam continuatum fuit. Porro licet Ferdinandus III. non iniqua uteretur fortuna, ſapienter nihilominus proſpiciens, fœderatos hoſtes a Gallia totis viribus adjutos debellari non poſſe, & tot mortalium ſanguini & Ærario Regio triginta annorum bellis exhauſto, parcendum denique ratus, ad pacem honeſtis, qua liceret, conditionibus componendam adjecit animum. Georgium Rakotzium Tranſilvaniæ principem Svecis fœdere junctum datis vita comite poſſidendis VII. Comitatibus Hungariæ ad quietem reduxit, A. 1645. Poſt longas deinceps deliberationes cum Gallis pax compoſita Monaſterii A. 1648. die 24. Octobris, cum fœderatis autem hoſtibus Osnabrugæ, qui gemini tractatus uno celeberrimæ pacis Weſtphalicæ nomine veniunt. Cætera inter illic conſtituta: ſtabilitum liberum in Imperio tribus religionibus: Romano-Catholicæ; Auguſtanæ, & Helveticæ exercitium. Pomerania, & Bremenſis Epiſcopi ditio Svecis data; Galliis Alſatia cum Suntgavia & Briſaco. Plurimi denique Epiſcopatus, & Abbatiæ Proteſtantibus Principi-

bus adjudicatæ ſunt. Bohemia jure hæreditario Auſtriæ Domui aſſerta. Denique coactus Cæſar, FRIDERICI Comitis Palatini exauctorati filium CAROLUM LUDOVICUM, & ditionibus avitis, & Electoris dignitati reſtituere. Atque ſic confirmato in ſua dignitate Bavariæ Duce, octavus Elector additus, cui numero poſtea A. 1692. die 22. Martii nonus Elector adjectus fuit Erneſtus Auguſtus Dux Hannoveranus, ea tamen lege, ut ſi alicujus ex Electoribus Imperii Stirps deficeret, hic poſtremus evaderet octavus, nemoque deinceps nonus crearetur. Materiæ ratio poſtulabat, ut rem tanti momenti huc inſereremus. Stabilita hac pace Weſtphalica, quæ novam Romano Germanico Imperio formam induxit, tranquillitas Europæ reſtituta fuit. FERDINANDUS III. hæreditariam ſucceſſionem in Bohemiam conſecutus, nil intentatum reliquerat, ut id ipſum in Hungaricis regnis obtineret. Vulgata eum in finem ſunt complura ſcripta in conventu Regni Poſonii, quibus ſucceſſionis hæreditariæ utilitates Hungarorum oculis proponebantur; at nondum præparati fuere popularium animi a miniſterii Viennenſis placitis admodum alieni. Id tamen facile impetravit Cæſar, ut in locum FERDINANDI IV. filii ſui jam Regis, LEOPOLDUS A. A. A. 1655. unanimi voto electus, ſolitis ritibus die 27. Junii S. LADISLAO Regi Sacra Poſonii inauguraretur: quem etiam anno inſequente hæreditaria jam Bohemiæ corona incingi curavit. His curis defunctus FERDINANDUS III. humanis rebus exemptus eſt, A. 1657. die 2. Aprilis. Cæſareo apud P. P. Capucinos tumulo illatus. Illius memoriam inter alia tuetur mos ille, quo ſe Cæſares Auſtriaci ad tuendum immaculatum Virginis Deiparæ conceptum 8. Decembris cum magiſtratu Academico ſolenni voto ad D. Stephani obſtringere ſolent. Ex tribus conjugibus denas proles ſuſtulit, e quibus tamen unicus LEOPOLDUS Auguſtam Stirpem propagavit. Eas illo, quo in lucem editæ ſunt ordine recenſibimus. Ex prima conjuge MARIA PHILIPPI III. Hiſp. Regis filia. I. FERDINANDUS IV. Rex Bohemiæ A. 1646. Hungariæ A. 1647. Romanorum A. 1653. inauguratus, raris a natura corporis animique dotibus inſtructus, ſpes Auguſtorum Parentum, & Provinciarum ſecum tumulo intulit A. 1654. die 9. Julii ex Variolis extinctus, cum annum ageret ætatis primum & viceſimum. II. MARIA ANNA PHILIPPI IV. Hiſp. Regis uxor. III. PHILIPPUS AUGUSTINUS A. A. mortuus A. 1639. IV. MAXIMILIANUS THOMAS A. A. mortuus A. 1639. V. LEOPOLDUS I. M. Romanorum Imperator Patris ſucceſſor, de quo §. ſequente. *Ex altera conjuge* MARIA LEOPOLDINA LEOPOLDI A. A. Tyrolenſis filia. VI. CAROLUS JOSEPHUS A. A. renunciatus Epiſcopus Paſſavienſis, Olomucenſis, Uratislavienſis, ordinis Teutonici Magiſter in flore ætatis mortuus A. 1664. die 27. Januarii. *Ex tertia conjuge* MARIA ELEONORA CAROLI II. Mantuæ Ducis filia VII. MARIA THERESIA. VIII. ELEONORA MARIA primum MICHAELIS Coributi

Regis

# GENEALOGIÆ AUGUSTÆ DOMUS HABSBURGO - LOTHARINGICÆ.

Tab. X. ad pag. 94.

Carolus Archidux Auſtriæ, Dux Stiriæ Carinthiæ Carnioliæ, Comes Goritiæ, Pater Lineæ Stirenſis.
nat. 1540. 3. Junii † 1590. 10. Julii.
Uxor. Maria Alberti V. Bavaræ iDucis filia † 30. Aprilis 1608.

---

Anna A. A. † 1598. 10. Febr. Sigismundus III. Rex Poloniæ.

Maria Chriſtierna nupta Sigismundo Bathori S. R. I. & Tranſilv. Principi 1595. VI. Aug. † 1621. 6. Apr. Monialis Halæ.

Gregoria Maximiliana A.A. † 1597. 27. Sept. Spons. Philipp. III. Rex Hiſp.

Eleonora A. A. Monialis Halæ † 1620. 28. Jan.

Maria Margareta A. A. † 1611. 3. Octobris. Philippus III. Rex Hiſp.

Maria Magdalena A. A. † 1631. 1 Novembris. Cosmus II. M. Dux Hetr.

Conſtantia A. A. † 1631. 10. Julii. Sigismundus III. Rex Poloniæ.

Ferdinandus II. Rom. Imp. nat. 1578. 9. Julii, factus Rex Boh. 1617. Hung. 1618. Rom. Imp. 1619. † 1637 15. Febr.
Uxor I. Maria Anna Wilhelmi Bav. Ducis filia † 1616. 8. Martii.
II. Eleonora Vincentii Gonzagæ Ducis Mant. filia improlis † 1655. 27. Junii.

Maximilianus Erneſtus A. A. M. Mag. Ord. Teut. † 1616. 18. Febr.

Leopoldus V. A. A. prius Ep. Paſſav. dein Comes Tyrolenſis † 1631. 17. Septemb.
Uxor. Claudia filia Ferdin. Ducis Flor. † 1648. 25. Dec.

Carolus Poſthumus A. A. Ep. Vratiſlav. Brixin. Coad. Coloni. M. Mag. Ord. Teut. † 1625. 27. Dec.

---

Ferdinandus III. Rom. Imp. nat. 1608. 13. Julii. Rex Hung. 1625. Bohem. 1627. Rom. 1636. Imper. 1637. † 1657. 2. Aprilis.
Uxor. I. Maria Anna Philippi III. Regis Hiſp. filia † 1646. 13. Maii.
II. Maria Leopoldina A. A. Tyrolenſis † 1649. 7. Aug.
III. Eleonora Caroli II. Gonzagæ filia Fundatrix Ord. Dominarum de Cruce Stellata 1668. † 1686. 5. Decembris.

Maria Anna A. A. † 1665. 28. Sept. Maximilianus I. Elect. Bavarus.

Cæcilia Renata A. A. † 1644. 24. Martii. Uladislaus IV. Rex Pol.

Leopoldus Wilhelmus A. A. Epiſcopus Argentin. Paſſav. Halberſtad. Olomucen. M. Mag. Ord. Teut. Archiep. Magdeburg. † 1662. 20. Nov.

(Children of Leopoldus V.:)

Ferdin. Carolus A. A. † 1662. 30. Decembris Anna Medicæa.

Iſabella Clara A. A. 1685. Carolus Dux Mantuæ.

Sigismundus Franciscus A. A. Epiſc. Auguſtan. dein Com. Tyrolis. Maria Hedvigis Sultzbacenſis.

Maria Leopoldina A. A. † 1649. 7. Auguſt. Ferdinandus III. Rom. Imp.

Claudia Felicitas A. A. † 1676. 8. April. Leopoldus M. Rom. Imp.

---

Ex I. Ferdinandus IV. Rex Boh. 1646. Hung. 1647. Germ. 1653. † cælebs 1654. 9. Julii.

Maria Anna A. A. † 1696. 16. Maii. Philippus IV. R. Hiſp.

Leopoldus I. M. Ignatius Rom. Imp. nat. 1640. 9 Junii. Rex Hungariæ 1655. Boh. 1656. Imperat. 1657. † 1705. 5. Maii. *Vide* Tab. XI.

Ex II. Carolus Joſephus A. A. Ep. Paſſav. Olom. M. Mag. O. Teut. † 1664. 27. Januar.

Ex III. Eleonora Maria A. A. † 1697. 17. Decembris nupta I. Michaeli Reg. Polon. II. Carolo IV. Victori Duci Lotharingiæ & Bari. *Vide* Tab. IV.

Maria Anna Joſepha A. A. † 1689. 14. April. Joannes Wilhelmus Elector Palat.

Regis Poloniæ, poſtea vero Caroli IV. vulgo V. Lotharingiæ & Bari Ducis Herois ævo ſuo invicti uxor, hodie regnantis Augusti Josephi II. Imp. fauſtiſſima Proavia. IX. Maria Anna Josepha Joannis Wilhelmi Comitis, Palatini Rheni Electoris conjux. X. Ferdinandus Josephus Aloysius A. A. in infantia ſublatus A. 1658.

## §. X.

*Series genealogica Stirpis Habsburgo - Auſtriacæ a* Leopoldo I. *M. Imp. Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rege, usque ad feliciſſime regnantem Auguſtam* MARIAM THERESIAM *Rom. Imperatricem, Apoſtolicam Hungariæ &c. Reginam vi Sanctionis Pragmaticæ omnium Habsburgo-Auſtriacarum Provinciarum Hæredem optatiſſimam.*

Leopoldus I. a devictis toties hoſtibus, tot Provinciis vindicatis, cæterisque rebus feliciter geſtis cognomento Magnus, mox a morte Parentis Ferdinandi III. in Hungaria, cæterisque provinciis ſucceſſit A. 1657. Imperii autem dignitatem non niſi anno inſequente, die 22. Julii eſt conſecutus. Hujus diuturnum, dimidio prope ſeculo regnum multis curis, & laboribus obnoxium fuit, ſed quibus illi via præparata fuit ad eam magnitudinem, atque potentiam, ad quam æmulorum ingratiis divina providentia eundem evexit. Principio regni ſui profligatis Svecis, aſſertaque Joanni Casimiro Auſtriaca Matre genito Polonia, per pacem olivenſem 1660. die 3. Maii concluſam, futuris præluxit victoriis. Reliquo autem vitæ tempore geminos hoſtes validiſſimos expertus fuit: ab oriente quidem Turcas; ab occidente Ludovicum XIV. de illis glorioſiſſime triumphavit; huic autem ſi ſucceſſionis Hiſpanicæ jacturam demas; nullo tempore ſuccubuit. Caſtra quidem nunquam ſecutus fuit, at inſigni in deligendis Belliducibus prudentia ac felicitate uſus effecit, ut abſens licet bella feliciſſime gereret. Noſſe ſuos, ſingulisque reipublicæ muneribus maxime idoneos præficere felicitas eſt Principis. Gallicis bellis occaſionem dedit magnitudo illa atque potentia Auguſtæ Domus Auſtriacæ, quam inde jam a Francisci I. temporibus deprimendam, minuendamque ſuſcepere Gallicani Miniſtri, eo prætextu ſpecioſo, quod ſi Auſtriaci ſinerentur creſcere, brevi cunctis Regibus Principibusque ſub jugum miſſis, univerſæ Europæ dominio potirentur. Itaque id ſemper agebant Galli, ut Belgii Provincias Italicasque ditiones Auſtriacæ domui ereptas coronæ ſuæ adjungerent. Poſtquam diuturno illi bello, quod Belgii cauſa adverſus Hiſpanos, & Cæſareos eorum fœderatos annos XXV. tenuerat, finem A. 1659. per pacem Pireneam impoſuiſſet, Ludovicus XIV, nova ſibi aſſerturus jura Mariam Theresiam

Phi-

Philippi IV. Hiſp. Regis filiam ſibi matrimonio copulavit. Hæc quidem volente patre, futurorum præſago, cunctis juribus ſuis ſolenniter renuntiarat; ſed quam renuntiationem adeo nil penſi habuit Ludovicus XIV. ut poſt Philippi IV. Regis Hiſp. mortem, continuo conjugis ſuæ nomine quasdam Belgii ditiones ſibi dari poſtulaverit: qua in re cum repulſam paſſus fuiſſet, armata manu Belgium ingreſſus, nullo negotio Flandriam, Franciæque comitatum in poteſtatem redegit. Hollandi tantis Gallorum progreſſionibus perculſi, veritique, ne ſubacto Belgio Auſtriaco, tempeſtas in ſe verteretur, cum Anglis & Svecis fœdus ineunt. Quo intellecto Ludovicus XIV. ne tot hoſtes ſibi attraheret, pacem cum Hiſpanis fecit Aquisgrani A. 1668. die 2. Maii, qua reddito comitatu Franciæ, cætera quæ armis ceperat, retinuit. Hunc in modum a proſequendo bello prohibitus Ludovicus XIV. gravi in Hollandos, qui ſibi obicem poſuerant, exarſit odio, itaque injuriam, ut putabat ulturus, Carolo II. Angliæ Rege, Moguntino Archiepiſcopo, cæterisque vicinis Principibus, ne Hollandis auxilio eſſe poſſent, ſibi fœdere conjunctis, ſubinde curas etiam ad Tranſilvaniam porrexit, cujus Principem Apaſium ad præbenda Tökelianæ factioni auxilia induxit, quo ſic Cæſarem a ferenda Hollandis ope averteret. Sic comparatis rebus, clariſſimus ævo ſuo Dux Turennius cum centum millibus Gallorum ſumma celeritate Hollandiæ provincias aggreſſus, trium hebdomadarum ſpatio 40. urbes expugnavit, florentiſſimamque Rempublicam in ſummas conjecit anguſtias. Fœderatorum calamitate commoti Leopoldus Cæſar, Carolus II. Hiſp. Rex, & Elector Brandeburgi ſine mora auxiliares oppreſſis copias ſubmiſere. Unde cruentum & multiplex bellum exarſit: quod cum Ludovicus XIV. annos aliquot ſuſtinuiſſet, videretque paulo eſſe difficilius, hoſtium numerum imminuere, decrevit: hunc in finem primum omnium Hollandos maximis oneratos promiſſis pace Noviomagenſi A. 1678. die 10. Auguſti a Fœderatis abduxit: Horum opera deinde cum Hiſpanis die 17. Septembris, cum Leopoldo autem Anno inſequente die 5. Februarii transactum fuit. Hac tempeſtate illud profecto notatu dignum evenit: Hollandos, ad quos perdendos bellum ſuſceptum fuerat, nullam ea pace terrarum ſuarum diminutionem paſſos fuiſſe, Auſtriacam autem Domum: Hiſpaniæ Regem & Cæſarem intelligo, quæ oppreſſæ Hollandiæ auxilium tulerat, pluribus ditionibus ſpoliatam fuiſſe in Belgio. Pacem hanc tam ſolennem rurſus bellum excepit A. 1683., quo Ludovicus XIV. ſpecie feudorum, quæ olim ad Alſatiæ jus pertinuiſſe videbantur, vindicandorum, alias ex aliis Belgii urbes in poteſtatem redigebat. Leopoldus Cæſar, quo majoribus viribus in Ottomannos rem agere poſſet, inducias cum Ludovico XIV. pepigit in annos 20. Ratisbonæ A. 1684. die 15. Auguſti. At rurſus fervente adhuc bello Turcico eas abrumpere coactus, A. 1688., ſemet

Hiſpa-

Hiſpanis, Anglis Hollandis, Sabaudoque conjunxit. Atrox hoc bellum ad Rhenum, atque in Italiæ viſceribus geſtum excepit pax Rysvicenſis inter belligerantes potentias inita A. 1697. cum CAROLO II. Hiſpaniæ, VILHELMO III. Angliæ regibus atque Hollandis die 20. Septembris. Cum LEOPOLDO autem Cæſare & Imperio Romano die 30. Octobris transegit LUDOVICUS XIV. Pace hac inter Galliam, & Romanum Imperium Rhenus limes poſitus: LEOPOLDUS Dux Lotharingiæ CAROLI IV. vulgo V. filius avitis Lotharingiæ & Bari Ducatibus reſtitutus, unde Avum ejus CAROLUM III. Ducem, Auſtriacæ ſocietatis cauſa, ejectum meminimus Cap. II. §. VI. Atque hac pace durante LUDOVICUS XIV. curas ſuas intendit ad præparandam nepoti ſuo PHILIPPO Andegavenſi Hiſpaniam: tantamque rem, quæ ceteris Principibus impoſſibilis videbatur, non ſine totius Europæ ſtupore ad exitum deduxit. Mox enim a morte CAROLI II. Hiſp. Regis PHILIPPUM ex teſtamento hæredem in Hiſpaniam dimiſit, conciliatisque popularium animis in ſolio ſtabilivit A. 1701. nemine tum ſi LEOPOLDUM cæſarem demas reclamante. Regnabat jam Philippus in Hiſpania, cum LEOPOLDUS CAROLUM Archiducem A. 1703. die 12. Septembris Viennæ Regem Hiſpaniæ pronunciavit, cum Anglorum, Hollandorum, ac Portugalliæ Regis auxilia pro filio ſollicitabat. Grandia quidem fuere fœderatorum promiſſa, quæ etiam ſumma fide præſtitere: Angli 40. millia terra marique obtulere, neque minus Hollandi; quibus LEOPOLDUS Cæſar cum Imperio 90. millia ſe juncturum ſpopondit. Fœdus hoc ad depellendum ex Hiſpania PHILIPPUM Andegavenſem ſignatum fuit die 25. Maii Anno 1702. verum tantis exercitibus minor ſucceſſus reſpondit: facilius nempe erat æmulum aditu prohibere, quam inde exturbare, ſed hæc ſerius multo evenere, nos ad ea, quæ cum Turcis acta ſunt, gradum faciamus.

Duo cum Turcis bella geſſit LEOPOLDUS. Primum Tranſilvaniæ cauſa: res ſic habet: Turcæ exauctorato GEORGIO II. Rakotzio Achatium Bartſai ſuffecerant; hoc autem in ſuam poteſtatem redacto, necatoque, JOANNES KEMENYIUS Principatum adeptus fuit, in quo ut ſe ſe confirmaret, unionem cum LEOPOLDO Cæſare iniit. Turcæ ea re offenſi atque Principem Cæſareis partibus addictum non ferentes, armata manu in Tranſilvaniam ingreſſi, eouſque KEMENYIUM bello perſecuti ſunt, dum prælio victus occumberet A. 1662. Hac tempeſtate electo MICHAELE APPAFFIO Principe, Turcæ veriti, ne Tranſilvani deſerta ſocietate ſua, Cæſari deinceps ſe conjungerent, univerſam regionem ſub jugum mittere conſtituerant, verum huic conſilio obſtitit Montecuculus juſto cum exercitu in limitibus excubans, compluraque præſidia milite cæſareo occupata tenens. Itaque diſſimulata tum vindicta, Turcæ ingenti cura ad bellum clam apparandum incubuere, ac ut Cæſarem incautum fallerent, ejus Bizantii Oratori propagandarum Induciarum

N ſpem

ſpem faciebant. Rebus omnibus interea ad bellum conſtitutis Vezirius Bizantio vere Anno 1663. digreſſus, Hungariam verſus tendebat, Appafioque ſevero edicto præcepit, ut quo tempore ipſe ad Danubium rem geſturus erat, in Tibiscanam Hungariæ regionem totis provinciæ viribus irrumperet. Tanto apparatu non leviter perculſus Leopoldus, quod non niſi 24. Legiones germanicæ in Hungaria tum adeſſent, monet Palatinum Veſſelenium, uti Hungaros inſtituto veteri ad caſtra evocet. Nec mora præter præſidiarias cohortes 20. & amplius millia Hungarorum ſub ſigna confluxere. Conſtituerat quidem Cæſar bello adminiſtrando præficere fortiſſimum ævi illius Heroem Nicolaum Comitem Zrinium, qui ab adoleſcentia bello Svecico, Gallico, Turcicoque exercitus, ingentem militiæ uſum, famamque longe maximam ſibi domi, foriſque comparaverat; cuique raro ſane exemplo, quidquid aggrederetur, comes fortuna ſemper aderat. Verum ut virtuti, gloriæque nunquam ſua deeſt æmulatio, non defuere, qui Leopoldum injectis timoribus ab eo conſilio avocarent. Itaque Montecuculo ſummum in omnes copias imperium datum. Geſtum eſt bellum lætiſſimo cum ſucceſſu, multisque nobilitatum victoriis: quarum maxime memorabilis fuit decretoria calendis Auguſti A. 1664. ad S. Gothardum pugna, ad quam plurimum momenti attulere 6. millia Gallorum, quæ Ludovicus XIV. Cæſari ſuppetias miſerat. Poſt tantam Turcarum cladem, cum Leopoldum victoriæ fructus lecturum omnes putarent, repente juſſit cum Vezirio inducias fieri, quæ in 20. annos die 7. Septembris pactæ, ſignatæque bellum omne reſtinxere. Cauſa hujus conſilii fuit graviſſima Cæſaris animo injecta ſuſpicio, quaſi Galli ea ſolum mente ſuppetias tuliſſent, ut hac opportunitate Hungarorum animos explorarent, ac in Leopoldum concitarent: & reapſe obſervatum fuit poſtea, Ludovicum XIV. quoties ei utile viſum erat, Hungariam in Cæſarem animaſſe. Huic ſuſpicioni accedebat altera de minus ſinceris Hungaricæ gentis in Auguſtam Domum ſtudiis: fuere enim, qui ex privatis cauſis contracto in univerſam nationem odio, Cæſari aſſeverabant, adeo Hungaros alienos eſſe, ut continuato porro bello arma repente in Principem ſuum converſuri ſint. Atque hæc fuere initia funeſtæ illius Regem inter, & populum diffidentiæ, quæ tanta ſanguinis effuſione conſtitit, nec niſi terminato ultimo bello Rakotziano evelli cepit. Hac cum eſſet mente Cæſar, ſine mora Hungaricum militem omnem domum remitti, præſidiarias cohortes exauctorari jubet, arces urbesque munitas, remotis præfectis Hungaris Exterorum fidei credit: Denique magno numero Legiones germanicas per regnum diſtribuit, quieti, ſecuritatique publicæ invigilaturas. His aliisque de cauſis enata domi ſeditio A. 1671. multorum ſuppliciis aliquantum ſopita mox atrocius recruduit. Ea enim ægrotantis Hungariæ opportunitate uſus Ludovicus XIV. Rex Galliarum bellum Hollandicum

animo

animo tum complexus Principem Tranſilvaniæ Appaſium eo adduxit, ut non modo proſcriptos benigne receperit, verum etiam ære, militeque adjuverit ad bellum Leopoldo Cæſari inferendum. Qua de re ut ſecurior eſſet Ludovicus XIV. Abbatem *Reverend* dictum in Tranſilvaniam nuncium dimiſit: a quo non modo Appaſius per multos annos in propoſito confirmatus fuit; verum etiam Tökeliana factio non contemnenda ſubſidia pecuniaria accepit. Emericus Tökelius primus omnium A. 1672. cum fœderatis in Hungariam irrupit, ſparſisque ubique literis invidiam Cæſari conflare, popularesque ſuos ad ſeditionem excire connilus fuit: ex adverſo cæſarei Duces nil omiſere, quo nutantes in fide continerent, ſeveriſſimisque ſumtis ſuppliciis alios a ſeditione abſterrerent. Bellum exiguis cum copiis utrinque; majoribus tamen odiis geſtum per annos plures paulo gravius erupit A. 1678. quo Tökelius 20. millibus ſtipatus e Tranſilvania ſe ejecit, torrentisque inſtar ſuperiorem Hungariam inundans, vel invitos in belli ſocietatem pertraxit quam plurimos, creſcenteque ſuorum numero ſuperior jam Cæſareis, montanas Hungariæ civitates in poteſtatem redegit. Leopoldus tantis Tökelii progreſſionibus commotus, hominemque bello ſubigi poſſe deſperans, leniora ſibi tentanda putavit remedia, quibus ei vires ſubtraheret: verebatur etiam ne Turcæ iis Hungariæ flammis excitati arma pariter corriperent alieniſſimo plane rebus ſuis tempore, quo difficillimo ſane cum Gallis bello laborabat. Itaque A. 1681. Sopronium ordines regni data fide publica evocat, de tollendis ſeditionum cauſis acturos: convenere frequentes. Quorum ſententiis auditis, Cæſar aliquid indulgendum ratus: abrogata in perpetuum Gubernatoris dignitate Palatinum comitem reſtituit creato Paulo S. R. J. Principe Eszterhazio: coercita militum licentia, abrogata nova vectigalium & judiciorum militarium forma, cunctis ad obſequium redire volentibus veniam obtulit. Hæc aliaque ibi ſtatuta poſtquam ubivis promulgata ſunt; continuo Tökelii aſſeclæ dilabi cepere, quin etiam in eum ceu Regis regnique hoſtem arma convertere, adeo ut mox a ſuis deſertus Tökelius debellatus fuiſſet, niſi Appaſius ex fœdere gallicano homini ſuppetias præbuiſſet. Ad extremum cum ſe viribus ſenſim deſtitui cerneret, Tökelius crebris literis & nuntiis aulam Bizantinam pulſare non deſtitit, dum denique eandem ad bellum Cæſari inferendum pertraxit. Atque hæc erat alterius belli turcici, quod cum tanta Leopoldi gloria, & rei chriſtianæ commodo geſtum fuit occaſio. Itaque Mahometes IV. Turcarum Imperator probe gnarus, Leopoldi vires bello Gallico attritas, diſtractasque eſſe, A. 1683. Karam Mustapham Vezirium cum trecentorum prope millium exercitu in Hungariam ablegat. Cohorruit ad funeſti ut credebat hujus belli nuncium Cæſar, propterea quod vix 30. millia militum connumeratis etiam præſidiariis ſub ſignis cenſeret. Itaque per nuncios &

literas Chriſtianorum Principum, quorum ſalus a Viennæ ſalute pendebat, opem implorat. Tum vero belli adminiſtratione credita CAROLO IV. vulgo V. Lotharingiæ Duci, in Auſtriacæ Domus commoda nato, urbe Viennenſi Erneſto Rudigero Comiti a STAHREMBERG commendata, Lincium cum omni familia Cæſarea diſceſſit. His tempeſtive conſtitutis, adfuit denique immenſa illa orientis multitudo, ſeſeque ampliſſimæ urbi circumfudit. Poſtquam vir immortali, grataque ad poſteros memoria dignus Comes STAHREMBERGIUS, ut fortem decebat, bimeſtri toto Turcarum impetum ſuſtinuiſſet, adfuere denique in obſeſſæ urbis totiusque Germaniæ ſubſidium Saxoniæ, & Bavariæ Electores juſtis cum copiis: quos ubi Rex JOANNES SOBIESKY cum 25. millibus Polonorum conſecutus fuiſſet, CAROLUS Lotharingus non amplius differendum prælium exiſtimans diſpoſita rite acie, Hoſtes aggreditur die 12. Septembris. Poſt atrox certamen plurium horarum, Turcæ ad extremum multis ſuorum deſideratis, relictis caſtris, & impedimentis omnibus, in effuſam fugam abiere. Victoriæ nuncius eo lætior LEOPOLDO accidit, quo minus expectatus erat: fructus autem incredibilis fuit. Continuato enim auſpiciis CAROLI Lotharingi bello, præter alias urbes receptas, A. 1686. die 2. Septembris BUDA Hungariæ Metropolis multo utrinque profuſo ſanguine, armata manu expugnata fuit, non ſine fauſtiſſimo omine, fore, ut aliquando invictiſſimi herois CAROLI Lotharingi poſteri principi huic urbi dominentur. Denique Turcæ continuis deinceps attriti cladibus non modo Hungaria tota exacti ſunt, verum etiam poſt recuperatum MAXIMILIANI Electoris Bavari virtute Belgradum, Serviam, Bosniam Albaniamque LEOPOLDO ceſſere. Has ſexennii progreſſiones corruperat A. 1690. quo Cæſaris fortuna variis de cauſis inclinare cepit. Poſtquam Serviæ & Albaniæ populi ſub jugum miſſi fuere, Cæſar pro ſuo in eorum commoda ſtudio, ſine mora miſſis idoneis viris novam regiminis formam, moderatamque vectigalium rationem introduxit. Hac innovatione offenſa cæca plebs, turcicamque ſervitutem mitiſſimo Cæſaris Imperio anteponens, inita clam conjuratione, Turcas evocat. Vezirius ea populi propenſione recreatus, reſumtis animis, bellum inſtaurat, expeditumque faventibus Serviis iter nactus, Belgradum nondum a ruinis ſuis reſtauratum recuperat, felicioreque ſemper uſus fortuna, in ſpem venit recuperandæ Hungariæ: certe ſeptennio rurſus integro bellum ſuſtinuiſſe in lucris poſuimus. At enim ſpes Cæſaris inſigniter A. 1697. erexit EUGENIUS Sabaudiæ Dux, qui per idem tempus ſupremum in copias Cæſareas imperium conſecutus, dignitatis ſuæ initia celeberrima illa ad Zentam victoria nobilitavit, qua 30. Turcarum millia partim gladio, partim Tibiſco hauſta interiere. Poſt tantam cladem Turcæ abjectis animis, inducias poſtulavere, quæ etiam eis in 25. annos datæ ſunt: concordiæ capita ſuere: ditionibus Hungaricis hinc Maruſius; inde Savus limes ſit: Temeſienſis

ager

ager & Belgradum Ottomanis pareat, hi nil ſibi deinceps in Tranſilvaniam juris arrogent. Tabulæ ſignatæ ſunt Carloviczii A. 1699. die 26. Januarii. Hic exitus fuit belli Turcici ſecundi, Annis 16. geſti. Durante adhuc hoc bello, illud in Auguſtæ domus, vel potius Hungariæ commoda accidit, quod ſucceſſio hæreditaria in hoc regnum quoad ſexum virilem introducta fuerit. Poſt recuperatam Budam, in medio Victoriarum curſu, comitia ordinum Hungariæ Poſonium A. 1687. ad diem 17. Septembris evocavit Cæſar, ubi commemoratis quæ ante omnium oculos verſabantur ſuis in patriam meritis, poſtulabat, ut antiquato penitus Electionis jure, ſucceſſionem hæreditariam Stirpis Virilis Auſtriacæ adoptarent, ea lege, ut poſteris ſuis ſublatis Hiſpano Auſtriaci ſuccederent: tantam nempe lineæ Hiſpanicæ rationem tum habuit Cæſar! Hungari æquiſſimis optime de ſe meriti Cæſaris votis ſubſcripſere, duo tamen oravere; primum ut ſi utraque Auſtriacorum linea in maribus deficeret, priſtina electionis libertas ſalva maneret; alterum ut hæreditarii Reges Auſtriaci conſuetis ritibus inaugurarentur, eaque occaſione jure jurando ſolenni caverent, ſe Andreæ II. Regis Bullam auream ſervaturos. Primum liberaliter annuit Leopoldus; alterum ita temperavit, ut de omnibus dictæ bullæ capitibus caveretur, excluſo nihilominus ſolenni exceptione Articulo 31. qui tot turbis olim occaſionem dederat. Quæ cum utrinque rata fuiſſent habita; Josephus Leopoldi primogenitus primus ex Auſtriaca domo hæreditarius Rex inauguratus fuit Poſonii A. 1687. die 9. Decembris. Quo tempore conſueta juramenti Regii formula duobus locis conſulto interpolata fuit (*a*). Introducta ſucceſſione hæreditaria, induciisque cum Ottomanica Porta ſtabilitis, cum Leopoldi Cæſaris curis reducta tranquillitate frui, ſeſeque e diuturno ſqualore erigere debebat Hungaria, bellum, unde minime oportebat, erupit. Ludovicus XIV. Hiſpanicam Monarchiam nepoti ſuo Philippo aſſerere certus, nil æque in votis habuit, atque ut Leopoldi vires divideret, ne univerſis copiis rem adverſum ſe agere poſſet. Quapropter per emiſſarios ſuos probe cognitum habens Hungarorum ſtatum, magnis pollicitationibus eosdem ad arma corripienda excitavit: id quod eo pronius fuit obtinere, quod Franciscus Rakotzius e captivitate Neoſtadienſi elapſus, proſcriptusque in omnem vindictæ occaſionem imminebat. Itaque alieniſſimo rebus Leopoldi tempore A. 1703. ſparſis prius ad invidiam Miniſterio Viennenſi conflandam libellis univerſam prope Hungariam in Cæſarem armavit Rakotzius. Quod bellum ancipiti fortuna ad annum usque ſeculi hujus 11. geſtum non levem Auſtriacæ domui obicem poſuit, ad ſucceſſionem Hiſpanicam obtinendam. Eodem quippe tempore quatuor diverſis locis exercitus alendi erant: contra

N 3 tra

(*a*) Diſcrimen veteris formulæ a recentiore videre potes in *Notitia rerum Hungaricarum Tom. III. pag.* 243.

tra Gallos eorumque fœderatos ad Rhenum, in Italia, & in Hiſpania, quo Carolus Leopoldi filius ſecundo genitus poſt multa terra marique diſcrimina A. 1704. incolumis penetraverat: ac denique in Hungaria adverſus Rakotzium. Atque in medio bellorum horum tumultu Leopoldus Cæſar e mundi hujus tempeſtatibus ad quietem æternam abiit A. 1705. die 5. Maii ætatis anno 65. Cæſareo Mauſolæo apud PP. Capucinos illatus. Tres Leopoldo fuere conjuges, quarum ſobolem ſuo ordine recenſebimus. *Ex conjuge prima* Margaretha Theresia Philippi IV. Hiſpaniæ Regis filia nati ſunt: I. Ferdinandus Venceslaus A. A. in infantia mortuus. II. Maria Antonia nupta Maximiliano Electori Bavariæ, ex quo conjugio fuit Josephus Dux, Hiſpanicæ Monarchiæ Candidatus. III. Joannes Archidux A. infans. IV. Maria Anna Apollonia infans. *Ex ſecunda* Claudia Felicitate Ferdinandi Caroli A. A. Tyrolenſis filia. V. Anna Maria Josepha Inf. VI. Maria Josepha Inf. *Ex tertia* Eleonora Magdalena Theresia Philippi Vilhelmi Palatino Neoburgici filia. VII. Josephus I. Rom. Imp. Hæreditarius Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex de quo infra. VIII. Maria Elisabetha primum Tyrolis, dein Belgii Gubernatrix. IX. Leopoldus Josephus A. A. Infans. X. Maria Anna Uxor Joannis V. Regis Portugalliæ. XI. Maria Theresia. XII. Carolus III. Rex Hiſp. poſtea Hung. Boh. & VI. Rom. Imp. de quo infra. XIII. Maria Josepha Inf. XIV. Maria Magdalena Tyrolis & Belgii Gubernatrix. XV. Maria Margaretha Infans obiit.

Josephus I. Rom. Imperator Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex Leopoldo M. immortalis memoriæ Parenti non in ſolio modo, verum etiam in bellorum onere ſucceſſit. Hoc Imperante armis cæſareis fortuna favit. In Italia ſummo cum Imperio copiis præerat Eugenius Sabaudiæ Dux, qui pluribus expeditionem hanc antea jam nobilitavit victoriis: vicit ad Carpos, ditionis Veronenſis, Ducem Gallorum Catinatum A. 1701. die 9. Julii. Villaregium die 10. Septembris ad Clarium. Ducem Vendomium ad Luzzaram A. 1702. die 26. Julii, Leopoldo adhuc in vivis agente: poſt ejus obitum vero A. 1705. die 16. Auguſti ad Caſſanum in agro Mediolanenſi eundem Ducem Vendomium ſuperavit. Mox anno inſequente die VII. Septembris ad Taurinum, Ducem Aurelianenſem internecina clade affecit. His præliis, ac quotidianis velitationibus ad paucitatem redacti Galli, liberum diſceſſum pacti, Italiam Cæſari Josepho reliquerunt. Quapropter Eugenius æmulis liberatus, quo laboranti ærario ſuccurreret, moderata ab Italicis ſtatibus tributa exegit: relictoque ubivis præſidio ad Rhenum ſe tranſtulit, deinceps cum fœderatis pugnaturus. Neque ibi ad eum diem res male cedebant, A. 1704. die 2. Julii ad Donaverdam in confiniis Sveviæ a Ludovico Badenſi & Malborugio

gio Anglorum duce profligatus fuit Elector Bavariæ; hic idem cum Talardo Duce die 13. Auguſti eodem Anno ad Höchſtadium inſignem cladem accepit ab Eugenio, & Malborugio: 12. millia cæſa, 14. millia capta, cum caſtris, & impedimentis, ac Dux ipſe Talardus cladis magnitudinem auxere. A. 1706. die 23. Maii ad Ramillias Brabantiæ vicum Dux Gallorum Villaregius cum Electore Bavariæ a fœderatis cæſi, expeditum victoribus in Galliæ viſcera iter aperuere. Fructus victoriæ fuit: Antverpia, Gandavum, Oſtenda, Inſulæ pluraque alia loca occupata. In Hiſpania, quo Carolus A. A. Hiſpaniarum Rex, claſſe Anglica delatus advenerat A. 1704. paulo difficilius bellum fuit; quod potior Hiſpanorum pars Philippo, cui fidem abſente Carolo dederant, conſtanter adhærerent. Qua in re multorum expectatio deluſa fuit, qui exiſtimabant; ut primum Carolus Hiſpaniam attigiſſet, gentem univerſam ad eum convolaturam: etſi enim nobiliſſimum Principem non abhorrerent multi; fœderatos tamen Anglos ob hæreſim, templorumque violationem deteſtabantur, plebs præſertim; concionatorum ſermonibus excitata: id quod eo plus potuit in animis innocuæ plebis; quod Romana curia Gallis, a quibus toties læſa fuit, faventior, quam Auſtriacis, Carolo noſtro Regis Hiſpaniæ titulos deferre detrectarit: neque prius ei *Catholici Regis* appellationem tribuit, quam poſtquam ab irritato Josepho Cæſare ditiones ſuas armata manu diripi vidit. Sic animis Hiſpanorum diſpoſitis, non niſi in armis ſpes fuit. Expugnato invincibili ad fretum Herculeum Arce Gibraltario, claſſis gallica ad Malagam A. 1704. die 24. Auguſti a Rockio Anglo diſſipata: eadem Anno 1705. die 21. Martii ad Gibraltarium ſuccubuit. Eodem anno Barcino Catalauniæ Caput menſe Septembri Carolinis armis capta fuit. Continuato deinde varia fortuna bello A. 1710. Carolus Rex Hiſpaniæ Philippum Andegavenſem ad Cæſar-Auguſtam devicit die 21. Aug. verum eodem anno die 10. Decembris cladem fœderatis reſtituit Philippus ad Villam Vitioſam. Atque hæc adverſus exteros hoſtes geſta ſunt Josepho rerum potiente: in Hungaria pariter non inproſpere pugnatum cum Rakotzio, quem Cæſar honeſtiſſimis conditionibus ſæpius oblatis, nec quidquam ad quietem revocare ſtuduit: adeo nempe Gallicani miniſtri hominem ſuis rationibus auctoraverant; ut is certam ſalutem ſuam incertis eorum promiſſis antepoſuerit. Ad extremum Josephus Cæſar bello civili finem impoſiturus, Joannem Palfium Illyrici Banum, & campi Mareſchallum delegit, pacis cum popularibus ſuis ineundæ Miniſtrum: qui Alexandro Karolio pluribusque aliis a confœderatione ad ſuas partes traductis, optatam diu pacem intra breve tempus A. 1711. Calendis Maii compoſuit Szathmarini, cui pro filio Josepho tum forte ſublato, Eleonora Auguſta Mater Provinciarum Gubernatrix ſubſcripſit. Atque hoc fuere loco res Auſtriacæ, cum Josephus I. Rom. Imp. e vi-

vis

vis exceſſit A. 1711. die 17. Aprilis, poſtquam Auguſtam Matrem Gubernatricis nomine Ditionibus ſuis præfeciſſet. Reliquit ex conjuge Augusta Wilhelmina Amalia Joannis Friderici Hannover. Filia geminas filias: Josepham, Friderico Augusto Electori Saxoniæ, & Polonorum Regi nuptam, elegantiſſimarum prolium fœcundam Matrem; & Mariam Amaliam Carolo Bavariæ Duci poſtea hujus nominis VII. Imperatori traditam hodierni Electoris Matrem. Josephi Cæſaris mors inopinata novam univerſæ Europæ faciem indidit, Hiſpanicæque ſucceſſionis ſpem omnem præcidit Carolo. Cum enim Auſtriacæ Stirpis poſtremus eſſet, Angli, Hollandi, cæterique fœderati exiſtimabant, minime e re ſua futurum, ſi unus, idemque Germaniæ Hiſpaniæque imperaret, quemadmodum Caroli V. temporibus factum fuit. Itaque ſatis fore putabant, ſi Carolus ex ampliſſima Hiſpanicæ Monarchiæ hæreditate Italicas ditiones adipiſceretur, Hiſpania vero cum Indiis Philippo Andegavenſi remaneret; hæc cum eſſent fœderatorum conſilia, a belli proſequendi ardore mox ceſſatum fuit, clamque eos inter, & Ludovicum XIV. de pace agi cepit. Non latebant iſta Carolum quem etiam Auguſta Mater Eleonora ad capeſſendam Imperii Romani coronam, adeundamque provinciarum poſſeſſionem evocabat. Itaque Catalaunorum fide fretus Barcinone, relicta conjuge Elisabetha Christina Ludovici Rudolphi Brunsvicenſis Wolfenb. filia, Anno eodem 1711. die 16. Septembris, Hiſpaniam nunquam revidendam deſeruit: exſcenſione Genuæ facta, Mediolanum, inde Oenipontum, demum Francofurtum delatus die 22. Decembris Imperii corona inauguratus fuit. Viennam poſtea inter fauſtiſſimas populi acclamationes redux, Anno inſequente 1712. ad diem 3. Aprilis comitia Regni Poſonium evocavit. Qua tempeſtate die 12. Maii Divi Stephani Diadema capiti ejus impoſuit Auguſtus Dux Saxoniæ S. R. E. Cardinalis Strigonienſis Metropolita; priusquam hic illi honos impenſus fuit, quinque capita ab ordinibus regni ſibi propoſita jurejurando interpoſito rata habuit. Juvat hæc ut in actis comitiorum relata ſunt compendio huc adducere. 1) Ut ſublato jam electionis jure, nihilominus omnes gentis immunitates in Bulla aurea contentæ ſalvæ manerent excluſo ſolo Articulo 31. 2) Ut ſacroſanctum Hungariæ diadema, duorum e magnatibus coronæ cuſtodum fidei creditum, in Hungaria deinceps aſſervaretur. 3) Ut ditiones ad jus ſacræ coronæ ſpectantes, quæ ad eum diem recuperatæ ſunt; aut deinceps juvante Deo recuperarentur, uſitatis Regni legibus & jurisdictioni ſubſint. 4) Ut ſi Carolum Cæſarem ſine maſcula ſobole decedere contingat, revocato priſtino electivi Regni jure, liberum ſit Hungaris, quem vellent, ſibi Regem accerſere. 5) Ut Caroli Cæſaris ſucceſſores hæreditarii Reges omnes, in ipſo Regni aditu in Generalibus Regni comitiis, ritu ſolito inaugurarentur, atque prius de horum 5 capitum obſervatione ſecuros redderent Regni ordines, & præſtito

juramento & ſolenni edito diplomate. (*a*) Hæc tum fuere Regni poſtulata. Iisdem in comitiis, quæ peſtiferæ luis cauſa aliquantum intermiſſa, non niſi Anno 1715. finem accepere, multa ad quietem utilitatemque publicam ſancita ſunt: Capita omnia Pacis Szathmarienſis inter RAKÖTZIANOS & JOANNEM Comitem Palfi A. 1711. die 1. Maii ſignata, ac ſubinde ab AUGUSTA ELEONORA probata, denuo communi Regis, & ordinum Regni conſenſu rata fuere habita; coercita militis licentia, & plura alia ſublata, quibus Hungarorum animos antea exaſperatos fuiſſe animadverterat CAROLUS. Et quoniam civilium bellorum tempore cuncta perturbata fuere, ſapientiſſimus Cæſar viros præſtantiſſimos delegit, qui omnes gubernationis partes ad ſiſtema quoddam revocarent: quorum opera ſubinde Cæſar rem politicam, judiciariam, & ærarium regium in meliorem ordinem redegit. CAROLO VI. Hungari debent Inſtitutum Conſilium Locumtenentiale Regium, quod interea Poſonii ſubſiſtere juſſum fuit, donec in Regni centro Budæ opportunæ ei ædes appararentur. Illi debetur ſeptemviralis, & Regia Tabula litibus definiendis adeo neceſſaria, illi in quatuor Regni partibus erecta Dicaſteria, illi novam Cameræ Hungaricæ formam & dignitatem; illi denique Hungari debent ſaluberrimas illas leges, quibus milites, ſeu præſidiarii, ſeu Hibernantes adſtricti ſunt, ne incolis moleſti eſſe poſſint, quæ ſi LEOPOLDI temporibus introductæ fuiſſent, fortaſſe a turbis immunis fuiſſet Hungaria, fere enim omnia eorum temporum monumenta, & acta publica inquiſitionum ut vocant uno ore teſtantur, graviſſimis injuriis incolas a milite vexatos fuiſſe, & quidem impune; quod ſtipendia ſtatis temporibus huic non perſolverentur: atque in hanc militum ſævitiem primam in Hungaria turbarum originem rejiciendam fatentur. Hæc conſulto pluribus huc adduximus, ut intelligatur CAROLI VI. Cæſaris inſignis prudentia, qui inveteratum malum in ipſo regni aditu, a radice feliciter curare exorſus, ita cicatrices poſtea conſanavit; ut nunquam vulnera recruduerint. Neque enim ex eo tempore gens Hungarica zelo fideque in Auguſtam Domum cuiquam ex ceteris hæreditariis provinciis quidquam conceſſit. Porro quod ad Hiſpaniam attinet: id quod vivo adhuc JOSEPHO Cæſare ceperant Galli, feliciter audita ejus mortis fama abſolvere. Nam & Luſitaniæ Regem cum Sabaudo a fœdere Auſtriaco abduxerant; & Annam Angliæ Reginam, cujus ære, milite, claſſeque res Carolinæ ſuſtentatæ adhuc fuerant, præterquam quod a ſocietate averterint: graviſſime inſuper in CAROLUM concitaverant. Hujus in Aula Londinenſi commutationis auctor fuit Talardus: qui in prælio ad Höchſtadium captus, plus Londini captivus, quam Dux in campo Galliæ profuit. Sic animis fœderatorum

rum

(*a*) Lege ſis Articulos Poſonienſium comitiorum Anni hujus Confirmatos A. 1715. In codice Juris Patrii.

rum comparatis; ſinguli ſeorſim cum Gallia inducias pacti, Caroli VI. Duces in Belgio Eugenium: in Hiſpania Stahrembergium, in Italia Daunium deſtituere. Interea vero de pace agebatur inter Gallos, & Fœderatos Cæſaris Ultrajecti: quæ demum concluſa fuit A. 1713. die 11. Aprilis. Philippus hujus nominis V. Rex Hiſpaniæ in ſolio confirmatus, omni in Galliæ coronam ſucceſſioni ſolenniter renuntiare juſſus fuit; ſimiliter Regii Bourbonici ſanguinis Principes in Gallia, omni ſe in Hiſpaniam jure exuerunt. Anglis Gibraltarium, Minorica, & Terra nova; Luſitanis vicinæ ad fluvium Amazonum in America terræ; Regi Boruſſiæ pars Geldriæ Hiſpanicæ; Sabaudo denique Sicilia cum Regio titulo ceſſere. Hunc in modum a fœderatis omnibus momento deſertus Carolus VI. & ipſe cum Ludovico XIV. opera Eugenii Ducis pacem fecit Raſtadii A. 1714. die 7. Martii. Hujus norma conſtituta, Pax Veſtphalica, Neomagenſis, & Ryswicenſis, tum vero ſancitum, ut Ludovicus XIV. Carolo VI. Briſacum vetus, Friburgum, Kellam, aliasque ad alteram Rheni ripam munitiones reſtituat. Cæſar Gallis Landaviam cedat, Colonienſis & Bavarus Electores Galliæ fœderati in integrum reponantur. Galli Hannoveranum IX. Electorem a Leopoldo creatum agnoſcant. Belgium Hiſpanicum Cæſar obtineat, de limitibus ſeorſim cum Hollandis tranſigat. Neapolis, Mediolanum, Sardinia, Hetruriæque portus, eo quo Hiſpaniæ olim Regibus jure eidem pareant. His pactis reſtituta pace, Carolus VI. Cæſar A. 1716. Turcis induciarum violatoribus bellum obmovit, quo Eugenius deletis Ottomanorum viribus, Belgradum hungaricis ditionibus adjecit cum Temesvario. Utrique Urbi adjacens Regio cum Valachia per pacem Paſſarovicenſem A. 1718. initam Carolo VI. aſſerta. Pax hæc neceſſaria fuit ad pellendum ex Italia Philippum V. Andegavenſem Hiſpaniæ Regem. Hunc ſecunda conjux Elisabetha Farneſia inplacabili in Carolum VI. odio ardens, ac una; ut filiis ſuis Carolo Don Carlos dicto, atque Philippo novas pariat hæreditates, ad ejiciendos ex Italia omni Auſtriacos exſtimulare non deſinebat: Geſtum fuit bellum in Italia magna ſanguinis profuſione uſque ad A. 1720., quo concordia inita his capitibus præcipuis: Carolus VI. recuperatam per ſe Sardiniam, cum Sicilia & Sabaudia commutaret: unde Victor Amadæus Sabaudus primus ſe Sardiniæ Regem appellavit: tum vero, ut Carolo Elisabethæ Farneſiæ Filio, Parmæ, Placentiæ, & Hetruriæ Ducatus ceu Romani Imperii feuda promitterentur: ubi eorum Domini citra hæredes deceſſerint: Id quod reapſe Carolus VI. præſtitit, collata Carolo Principi, ejusque fratribus & poſteris earum ditionum inveſtitura. Hoc tractatu lites ſolummodo ſopitæ, non niſi A. 1725. Pace Viennenſi ſublatæ ſunt: vi cujus I. Philippus V. omni in Neapolis & Siciliæ Regna, in Belgium item & Mediolanum; Cæſar autem ſuo viciſſim in Hiſpaniam juri renuntiant. II.

Caro-

Carolus VI. ratam habet legem, qua Philippus V. ſuperſtitibus maſculinis hæredibus ſuis, fœminas a ſucceſſione excluſit: ex adverſo Philippus tuiturum ſe ſpondet ſanctionem pragmaticam, qua Carolus VI. ad impediendam provinciarum ſuarum diviſionem, Mariam Theresiam primogenitam regnorum omnium hæredem ſcripſit. III. Et Carolus VI. Cæſar, & Philippus Aurei velleris equites creare poſſint; eo diſcrimine; ut Hiſpanici Equites in conſueto ordinis ſigno Caſtiliæ turrim deferant. IV. Carolus VI. Regis Hiſpaniæ; Philippus V. Archiducis Auſtriæ titulos uſurpet, quin tamen ad hæredes transmittantur. Paci huic quod ſe inconſultis inita eſſet, interceſſere Angli & Hollandi, neque prius ejus capita ac nominatim ſanctionem pragmaticam ratam habuere, quam poſtquam Carolus VI. ſocietatem Oſtendenſem commercii cauſa inſtitutam diſſolviſſet Anno 1731. ut appareret eos ſolummodo utiliſſimi hujus commercii impediendi cauſa ſe ſe difficiles præbuiſſe. Rurſus A. 1733. graviſſimum bellum exortum fuit, quod mortuo Augusto II., Stanislaum Lecinszky ſocerum ſuum in ſolium Polonicum reponi vellet Ludovicus XV. Rex Galliæ, Cæſar autem Augustum III. ope Ruſſorum eligi procuraſſet. Hujus belli opportunitate uſura Elisabetha Farneſia conjugem ſuum Philippum V. Hiſpaniæ Regem ad invadendam Italiam animavit. Veteribus odiis oleum affuderat, quod Cæſar neglecto Carolo Principe ejus filio, nunc Hiſpaniæ Rege, Franciscum Lotharingum Mariæ Theresiæ ſponſum delegerit. Bellum magnis utrinque conatibus in Belgio & in Italia geſtum Pax excepit Viennæ A. 1735. die 3. Octobris concluſa. In has porro conditiones præcipuas coitum fuit. Franciscus Lotharingiæ Dux futurus Cæſaris gener, avitas Lotharingiæ terras, & Barenſem Ducatum Regi Stanislao cedat, ab ejus obitu Coronæ Galliæ unienda: recipiat autem pro his magnum Hetruriæ Ducatum. Cæſari Mediolanum aliæque Italicæ terræ cum Parma & Placentia maneant: ex adverſo Neapolim & Siciliam Carolo Principi hodierno Regi Hiſpaniæ relinquat. Sabaudo Sardiniæ Regi addantur gemini Ducatus Novarienſis, & Tortonenſis a Mediolanenſi avulſi: feuda item Landarum: atque his pactis Bourbonii eorumque fœderati ad ſanctionem Pragmaticam tuendam ſe ſe obſtringant. Id quod A. 1738. a ſingulis præſtitum fuit, niſi quod Elisabetha Farneſia digerere non poſſet, Parmam adhuc, & Placentiam in Caroli VI. poteſtate remanſiſſe. Hac ratione terminatum fuit bellum ſucceſſionis Hiſpanicæ, quo Auſtriaca Domus tota Hiſpanica hæreditate, ſi Belgium & Mediolanum demas, ſenſim ſpoliata fuit. Annoſa hac lite diremta, bellum cum Turcis cepit A. 1737., quod minus proſpere geſtum, tradita hoſtibus Valachia & Servia cum Belgrado, deſiit A. 1739. Has inter Bellorum tempeſtates maxime ſollicitum habebat Cæſarem, quod ex Auguſta conjuge Elisabetha nullam ſpem ſobolis maſculinæ cerneret. Ita-

 que

# GENEALOGIÆ AUG. DOMUS HABSBURGO-LOTHARINGICÆ.



Leopoldus I. Magnus Ignatius Rom. Imp. nat. 1640. 9. Junii. Rex Hung. 1655. Bohem. 1656. Rom. Imper. 1657. † 1705. 5. Maii.
Uxor I. Margaretha Theresia Philippi IV. Hiſp. Regis filia † 1673. 22. Martii.
II. Claudia Felicitas filia Ferdinandi Caroli A.A. Tyrolenſis filia † 1676. 8. Aprilis.
III. Eleonora Magdalena Theresia Philippi Wilhelmi Neoburg. Electoris Palatini filia † 1720. 19. Januarii.

Ex I. Maria Antonia A. A. † 1694. 24. Decemb. Maximilianus Emanuel Elect. Bav.

Joſephus Candidat. Monarch. Hiſp.

Ex III. Josephus I. Rom. Imperator. nat. 1678. 26. Julii electus Hæredit. Rex Hung. 1687. German. 1690. Rom. Imp. 1705. † 1711. 17. Aprilis. Wilhelmina Amalia Joannis Friderici Hannover. filia † 1742. 10. Aprilis.

Maria Eliſabetha A.A. Belgii Gubernatrix † 1741. 26. Aug.

Maria Anna A. A. † 1754. 14. Aug. Joannes V. Rex Luſit.

Carolus VI. Rom. Imperator III. Rex Hiſp. nat. 1685. 1. Octob. declar. Rex Hiſp. 1703. 12. Sept. Coronatus 1706. 27. Junii, Rom. Imp. 1711. 12. Octob. Hung. Rex coron. 1712. 22. Maii, Bohemiæ coron. 1723. 5. Sept. † 1740. 20. Octobris.
Eliſabetha Chriſtina Ludovici Rudolphi Brunſvico-Quelpherbytani Ducis filia nata 1691. 28. Aug. nupt. 1708. Barcinone 1. Aug. † Viennæ 1750. 21. Decembris.

Maria Magdalena A. A. Gubernatrix Tyrolis † 1743. 1. Maii.

Maria Joſepha A. A. nat. 1699. 8. Decemb. † Dresdæ 1757. 17. Nov. Fridericus Auguſtus Rex Poloniæ Elector Saxoniæ.

Leopoldus Joſephus A. A. nat. 1700. 25. Octobris † 1701. 4. Aug.

Maria Amalia A. A. nat. 1701. 22. Octob. † 1756. 11. Decemb. Carolus VII. Rom. Imp. Elector Bavariæ.

Leopoldus Joſephus A. A. nat. 1716. 13. Aprilis † eodem anno 4. Novemb.

Maria Theresia nat. 1717. 13. Maii omnium Provinciar. Auſtriacarum hæres vi Sanctionis Pragmaticæ ſucceſſit Carolo VI. Parenti 1740. Coronat. Reg. Hung. 1741. 25. Junii. Bohemiæ 1743. 12. Maii. Nupſit 1736. 12. Febr.
Maritus. Franciscus III. Stephanus Dux Lotharingiæ & Bari, Magnus Dux Hetruriæ, demum Rom. Imperator ab Anno 1745. 4. Octobris † Oenipoati 1765. 18. Aug.

Maria Anna A. Auſtr. Belgii Gubernatrix nata 1718. 14. Septemb. nupſit Carolo Alexandro Principi Lotharingo 1744. 7. Januar. † e. an. 16. Decemb.

Maria Anna A. A. nat. 1738. 6. Octob.

Josephus II. Rom. Imp. Hung. Boh. &c. Hæres & Corregens. nat. 1741. 13. Mart. Rom. Rex 1764. Rom. Imper. 1765.
Uxor I. Maria Eliſabetha Inf. Hiſp. Duc. Parm. nat. 1741. 31. Dec. nupt. 1760. 6. Octob. † 1763. 27. Novemb.
II. Maria Joſepha Bav. Caroli VII. Imp. filia. nat. 1739. 30. Mart. nupt. 1765. 22. Janua. † 1767. 28. Maii.

Ex I. Maria Thereſia A. A. nat. 1762. 20. Martii † 1770. 23. Januarii.

Maria Chriſtina A. A. nat. 1742. 13. Maii nupt. 1766. 8. April. Alberto Reg. Pol. Principi Saxo-Teſchin. Duci Reg. Hung. Locumtenenti.

Maria Eliſabetha A. A. nat. 1743. 13. Aug.

Maria Amalia A. A. nat. 1746. 26. Febr. nupt. 1769. 27. Jun. Ferdinando Inf. Hiſp. Parmæ Plac. Duci.

Petrus Leopoldus A. A. M. D. Hetr. nat. 1747. 5. Maii. Duxit Conjug. 1765. 5. Aug. Mariam Ludovicam Inf. Hiſp. Caroli IV. Hiſp. Regis filiam.

Maria Thereſia A. A. n. 1767. 14. Januar.

Franciſcus Joſephus A. A. hæred. M. Dux Hetr. Princ. natus 1768. 12. Febr.

Joſephus Ferdinandus A. A. nat. 1769. 11. Maii.

Maria Anna A. A. n. 1770. 21. Apr.

Carolus A. A. n. 1771. 5. Sept.

Maria Carolina A. A. nat. 1752. 13. Aug. nupt. 1768. 7. April. Ferdinando IV. Regi Siciliæ.

Ferdinandus A. A. Gub. Lombard. Auſtr. nat. 1754. 1. Junii. Duxit. 1771. 15. Octob. Beatricem Eſtenſ. Duc. Mutinenſem.

Maria Antonia A. A. nat. 1755. 2. Novemb. nupt. 1770. 16. Maii Ludovico Augusto Galliar. Delphino.

Maximilianus A. A. nat. 1756. 8. Decemb. Coadj. M. Mag. Ord. Teuton. elect. 1769. 3. Octob.

nos LV. dies XX. Præfuit Imperio Romano XXIX. Hiſpanico XXXV. Hungariæ, & Bohemiæ XXVIII. Ex ELISABETHA CHRISTINA AUGUSTA genuit IV. Proles. I. LEOPOLDUM JOANNEM JOSEPHUM Archiducem Auſtriæ natum A. 1716. die 13. Aprilis non ſine omnium luctu eodem anno elatum die 4. Novembris. II. MARIAM THERESIAM in ſubditorum commoda & delicias natam A. 1717. die 13. Maii Ampliſſimæ hæreditatis Hæredem optatiſſimam. (*a*) III. MARIAM ANNAM natam A. 1718. die 14. Septembris Belgii Gubernatricem, nuptui traditam A. 1744. die 7. Januarii CAROLO ALEXANDRO Loth. & Bari Duci, infauſto partu ſublatam eodem anno die 16. Decembris. IV. MARIAM AMALIAM natam A. 1724. die 5. Aprilis denatam A. 1730. die 19. Aprilis.

## §. XI.

MARIÆ THERESIÆ *M. Auguſtæ Rom. Imperatricis, Apoſtolicæ Hungariæ, Bohemiæ Reginæ, Archiducis Auſtriæ &c. &* FRANCISCI I. *Romanorum Imperatoris Hieroſolymorum Regis Lotharingiæ, & Bari Ducis, Magni Ducis Hetruriæ Res, & Auguſtæ Soboles.*

Tanto Principi quantus CAROLUS VI. fuit, nonniſi M. MARIA THERESIA ſuccedere debuit, ut jacturæ, quam ejus occaſu provinciæ omnes paſſæ fuere, magnitudinem expleret. Neque exiſtimo quemquam futurum, qui MAGNÆ appellationem MARIÆ THERESIÆ AUG. tribuere vereatur; ſi modo ea omnia, quæ bello paceve ab immortali hac populorum Matre geſta ſunt, accuratius ad calculum revocet. Alios Principes bellicæ laudes; alios pacis ſtudia MAGNOS reddidere. MARIA THERESIA glorioſam hanc teſſeram utrisque laudibus emeruit. Geſſit illa bella plurima eaque difficillima, triumphavit de hoſtibus pluribus, iisdemque potentiſſimis, atque eo tempore triumphavit, quo conſpirante in ejus interitum tota pene Europa, omnium opinione ditionibus ſuis pene omnibus exuenda credebatur. Adierat MARIA THERESIA mox a CAROLI VI. Cæſaris obitu ſanctione pragmatica firmatas ſibi Auſtriacas hæreditates, S. Coronam Hungariæ, quæ recentiſſimo jure ei fidem ſuam obſtrinxerat, ſuſcepit Poſonii A. 1741. die 25. Junii. Ut Bohemi ſuo diademate redimitam cernerent inimica tempeſtas

 obſti-

(*a*) Quam appoſite de CAROLO VI. Cæſare ejusque filia MARIA THERESIA Virgilius ———

Filius huic fato Divum! prolesque Virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa eſt,
Sola DOMUM & tantas ſervabat FILIA ſedes
ÆNEIDOS lib. V.

obſtitit. Vix enim CAROLUS VI. vivere deſierat, mox CAROLUS Elector Bavarus, AUGUSTUS III. Rex Poloniæ, FRIDERICUS Boruſſiæ, PHILIPPUS V. Hiſpaniæ, CAROLUS III. Utriusque Siciliæ, CAROLUS III. EMANUEL Sardiniæ, ac denique LUDOVICUS XV. Galliarum Reges, qui ante ſanctionem pragmaticam ſtipulati fuerant, magnis exercitibus MARIÆ THERESIÆ hæreditates invaſere, atque inter ſe partiti fuere. Bohemiam Auſtriæque partem Bavarus, Sileſiam Boruſſus, Belgium Gallus, Italiam fœderati eripuerant. Bellum pro hoſtium numero multiplex gerendum fuit teneræ Principi, copiis; quia CAROLUS VI. pacem falſo præſagiens militem exauctoraverat, deſtitutæ. Non tamen ſuccubuit, ſubditorum ſibi populorum fide conſtantiaque ſervata, qui neque æri, neque militi pepercere, quo laboranti Principi ſuæ opem ferrent: qua in re & Auguſtæ Dominæ calculo, & hoſtium confeſſione præcipua genti Hungaricæ debetur gloria, quæ cum olim ſub IOSEPHO & LEOPOLDO Cæſaribus tot annis, & tantis conatibus ad excutiendum jugum bella geſſiſſet, nunc commutatis ſtudiis, eam, quam ſibi Hæreditariam Reginam elegerat ad ultimam uſque guttam ſanguinis, tuendam ſuſceperit. Hunc in finem Hungari magnam vim æris & imperati, & gratuiti ſumma promptitudine ærario bellico intulere; quoque Hungaria abundabat, & AUGUSTA REGINA præprimis opus habuit, immenſa militum ſupplementa annis ſingulis ſubmiſere: præterquam quod principio belli more inſtitutoque veteri viritim inſurrexerint. Atque hac tempeſtate Hungaris arma rurſus credi cepere, inſtitutis pedeſtribus equeſtribusque legionibus (*a*) quarum tantum poſtea uſum ſecuturis bellis experti fuimus. Quantum autem ad belli ejus ſucceſſum attinet, etſi adverſa ſæpius uteretur fortuna contra Regem Boruſſiæ MARIA THERESIA; Bavarum tamen Electorem CAROLUM hujus nominis VII. Imperatorem, non Bohemia modo & Auſtria ejecit; verum etiam ditionibus omnibus ſpoliavit. Has inter progreſſiones pace cum Boruſſiæ & Poloniæ Regibus A. 1745. inita, poſt Bavari Imperatoris mortem, profligatis Gallis, conjugi ſuo FRANCISCO Romani Imperii Diadema imponi procuravit MARIA THERESIA die 4. Octobris ejusdem Anni. Continuato deinde bello in Italia & Belgio, finem impoſuit A. 1748., quo Aquisgrani pax cum LUDOVICO XV. ejuſdemque fœderatis concluſa fuit die 20. Novembris. Etſi porro Sileſiæ, quam Boruſſus ſibi retinuit, Parmæ item ac Placentiæ, quam PHILIPPUS Infans ELISABETHÆ Farneſiæ filius aquiſivit, jactura non parvi æſtimanda ſit; ſi tamen fœderatorum hoſtium contra Reginam unam conjuratorum numerum & potentiam, periculique magnitudinem cum exitu belli contendas, triumphaſſe dicenda eſt M. MA-

(*a*) Paulo plus in Gentem Hungaram fiduciæ teſtata eſt Auguſta, inſtituta turma Prætoriana ex nobilibus Hungaris conflata Poſonii A. 1760. die 28. Septembris, quod Hungari magni ſane æſtiment oportet.

M. MARIA THERESIA. Clauſæ tum Jani fores, rurſus apertæ ſunt A. 1756. contra Regem Boruſſiæ, quo cum alternante fortuna res geſta usque ad A. 1763. quo concordia inita, belligerantes potentiæ id quod ante bellum poſſederant retinuere. Hoc bello durante poſt reportatam inſignem illam de Rege Boruſſiæ ad Planiam vicum Bohemiæ A. 1757. die 18. Junii victoriam, inſtitutus fuit ordo Militaris MARIÆ THERESIÆ ad præmiandam Ducum, qui fortibus factis inclaruerint virtutem. Reliquum e gemino hoc bello ſuaviſſimi regiminis ſui tempus Aug. Mater MARIA THERESIA ſummo ſtudio, incredibilique ſucceſſu impendit promovendæ ſubditorum ſuorum felicitati. Illius ſanctiſſimis exemplis & inſtitutis conſervata hactenus inſtaurataque refrigeſcens hodie apud multos Religionis integritas, pietatisque ſtudium. (a) Illius ſapientiſſimis conatibus inſtaurata in Viennenſi, ceterisque ditionum ſuarum Academiis diſcendi, docendique ratione, excitata præmiis etiam propoſitis multorum induſtria, Literæ ad ſummum florem adductæ ſunt: adeo, ut cum antea multarum diſciplinarum cauſa ad exteras oras proficiſcendum fuerit, hodie exteri magno numero diſcendi cauſa noſtras adeant Academias. Nunquam in Ditionibus noſtris tantus præſtantiſſimorum Aſtronomorum, Geometrarum, Jurisconſultorum, Medicorum, Hiſtoricorum, in omnique diſciplinarum genere ſcriptorum numerus cenſebatur, atque paucis his annis, quibus Magna M. THERESIA jacentibus literarum ſtudiis vitam inſpiravit. Illius materna pietas curas ſuas porrexit ad Juventutis præcipue Nobilioris inſtitutionem, cui erectis tot Academiis atque Convictibus omnem opportunitatem procuravit. Illi debetur Tyrnaviæ in Hungaria Regius Convictus, quem e fundamentis excitatum, auctum, favoreque ſuo protectum eo provexit, ut Nobiliſſimæ Juventutis eo certatim confluentis frequentiam, vaſtiſſimæ cæteroquin ædes amplius capere non poſſint. Huic non abſimilem Academiam, utiliſſimi conſilii ſui adjutore Eminentiſſimo S. R. E. Cardinale Chriſtophoro S. R. I. Principe Migazzi, poſuit Vacii. Omnium autem id genus operum ab Auguſta hac Matre ſuſceptorum Princeps eſt Regium Thereſianum Nobilium Collegium Viennenſe, cui ſecundiſſima in omni virtutum & diſciplinarum artiumque bonarum genere inſtitutio tantam ubique conciliavit celebritatem, ut non modo a præcipua hæreditariarum Provinciarum, verum etiam exterarum gentium Nobili Juventute frequentetur. Prodiere jam hinc ſanctiſſimi Eccleſiarum Antiſtites, Aulæ Adminiſtri, Provinciarum Præſides, Tribunalium Arbitri, Copiarum Duces, qui in Auguſtæ Matris ſuæ oculis prima hic futuræ Magnitudinis ſuæ jecere fundamenta. Illius prudentiæ rem politicam æque ac militarem

ad

(a) Ob indefeſſum Religionis ſacroſanctæ apud ſuos promovendæ ſtudium, jure promerita fuit, ut Clemens XIII. P. P. vetere apud Hungariæ Reges uſu innovato eandem Apoſtolicæ Reginæ Hungariæ titulo ornarit A. 1758. Ejus Breve legere potes in ſpecimine Heraldicæ Hung.

ad eum apicem adductam debemus, ad quem deceſſores ejus neque intendere poterant. Dum ſic ſummis Reipublicæ curis vacat; neque infimam plebem ſuæ clementiæ expertem eſſe voluit Aug. MARIA THERESIA, diminuto enim ejus onere & ſublevata egeſtate, lætiores illi quotidianos ſudores effecit. Vaſtiſſimis inſuper Hungariæ ſolitudinibus, deductis eo coloniis, priſtinam frequentiam ex parte reſtituit. Auxit ad hæc Hungariæ ſuæ limites recepto inveterato illo XIII. Scepuſii oppidorum pignore: Galliciæ item, ac Lodomeriæ Regnis, quorum titulos ad eum diem geſſerat, poſtliminio vindicatis Anno ſuperiore. Denique communis eorum, qui res ex æquo arbitrantur opinio eſt, nunquam Monarchiam Auſtriacam firmiore, felicioreque atque nunc loco conſtitiſſe. (a) Quæ omnia bello paceque glorioſe geſta tanti certe apud me ſunt, ut AUGUSTAM hanc populorum Matrem potius; quam Dominam MARIAM THERESIAM prorſus non verear MAGNAM appellare. Magnitudinem Auguſtæ Matris non mediocriter auget elegantiſſimarum, præſtantiſſimarumque Prolium *Magnitudo*, quas propitio Numine ſuſcepit e ſanctiſſimo illo cum FRANCISCO I. AUGUSTO Imperatore Romanorum Conjugio. Atque hujus conjugii ſanctitas, fides, ac integritas non ſolum pulcherrimo ad imitandum exemplo fuit aliis; verum etiam poſterorum ore celebrabitur. Tantum conjugem, quantus FRANCISCUS I. Imp. fuit, poſtquam Oeniponti A. 1765. die 18. Auguſti ſibi ereptum luxiſſet, ea animi conſtantia pietateque viduitatem colit AUGUSTA, ut habeant viduæ omnes, quod in ea imitentur. Quamquam non deſunt, quæ Auguſtæ orbitatem recreent, Auguſtæ proles adhuc ſuperſtites. Nos omnes, naſcendi ordine, eas etiam; quæ ad meliorem vitam abierunt, recenſebimus. I. MARIA ELISABETHA AMALIA A. A. nata A. 1737. 5. Februarii † 1740. VIII. Junii. II. MARIA ANNA A. A. nata A. 1738. 6. Octobris Illuſtrium Herularum ab Auguſta Matre inſtitutarum Antiſtita abſolutiſſimum Piæ Principis exemplar. III. MARIA CAROLINA A. A. nata A. 1740. 12. Junii † A. 1741. 25. Januarii. IV. JOSEPHUS II. Rom. Imp. ſemper Auguſtus natus A. 1741. 13. Martii. Electus Romanorum Rex A. 1764. 27. Martii Francofurti; ibidemque 3. Aprilis inauguratus. AUGUSTO Parenti ſuo A. 1765. die 18. Auguſti mortuo in Imperio ſucceſſit, eodem Anno ordinum Equeſtrium Thereſiani & D. Stephani M. Magiſter, ac una in provinciarum gubernatione Corregens ab AUGUSTA Matre conſtitutus. Prima ei conjux A. 1760. die 6. Octobris copulata eſt MARIA ELISABETHA PHILIPPI Infantis Hiſpaniæ, Ducis Parmæ ac Placentiæ filia: quæ primo partu A. 1762. 20. Martii enixa fuit MARIAM THERESIAM A. A. † Anno

1770.

(a) Ut ſubditorum ſuorum in ſe fidem ac in publica commoda ſtudium excitaret AUGUSTA Ordinem Equitum S. Stephani Apoſtolici Regis Hungariæ inſtituit A. 1764. die 5. Martii. Ad quem non niſi per merita aditus patet.

1770. 23. Januarii; altero autem ſibi infauſto edidit Mariam Christinam A. 1763. 12. Novembris, prolemque mox extinctam conſecuta fuit 27. Novembris. Alteram conjugem A. 1765. 22. Januarii accepit Mariam Josepham Caroli VII. Cæſaris Bavari filiam, quæ improlis deceſſit A. 1767. 28. Maii. De Augusti Cæſaris noſtri laudibus, quas pro dignitate exequi inſtituta operis brevitas prohibet, nil hic adducemus. Has vel me tacente univerſa, quam peragravit Italia, atque orbis Chriſtiani Caput Roma, etiamnum deprædicat, ubi ære omni perennius in animis hominum reliquit ſinceræ ſolidæque religionis, ſapientiæ clementiæque ſuæ monumentum. Loquuntur ejus laudes ſubditæ provinciæ pene omnes, quas raro ſane exemplo perluſtravit, intento ſemper in ea, quæ Principem noſſe oportet, oculo. Alii ſingulare in Auguſto noſtro ſtudium Religionis, maximam in ſummo illo faſtigio erga omnes humanitatem, in victu, cultuque corporis moderationem, alii perſpicaciſſimam ingenii aciem, animi magnitudinem, in rebus aggrediendis ſolertiam, atque prudentiam, in perficiendis conſtantiam admirantur: ſunt quibus in Auguſto mirifice placet, illa militaris æque ac civilis prudentiæ conjunctio, illud continuum tot exemplis teſtatum veritatis, & juſtitiæ ſtudium. Alios denique omnium maxime delectat elegantiſſima illa teſſera; quam Auguſtus Cæſar in ipſo Imperii aditu ſibi adoptavit: *Virtute & Exemplo*: quo quidem & Regnum ſuum virtuti conforme futurum; & ea, quæ a ſubditis fieri vellet exemplo ſuo commonſtraturum ſignificavit: id quod reapſe etiam ab eo quotidie præſtari nemo eſt, qui ignoret. Magna certe deinceps etiam ab AUGUSTO JOSEPHO II. expectanda ſunt, in quem tot Heroum Lotharingorum æque ac Auſtriacorum Principum ſanguis, virtusque transfuſa ſunt, vitam itaque illi & felicitatem voviſſe hic ſatis ſit. V. MARIA CHRISTINA A. A. nata A. 1742. 13. Maii nupta A. 1766. 8. Aprilis Alberto Regio Poloniæ Principi, Saxoniæ & Teſchini Duci, Reg. Hung. Locumtenenti: veræ Hungarorum deliciæ. VI. MARIA ELISABETHA A. A. nata A. 1743. 13. Aug. VII. Carolus A. A. natus A. 1745. 1. Febr. ac in ipſo ætatis flore non ſine omnium provinciarum luctu †. A. 1761. 18. Januarii. VIII. MARIA AMALIA A. A. nata A. 1746. 26. Februarii matrimonio juncta Ferdinando Infanti Hiſp. Parmæ & Placentiæ Duci A. 1769. 27. Junii. IX. PETRUS LEOPOLDUS A. A. Magnus Dux Hetruriæ natus Anno 1747. 5. Maii, conjugem accepit A. 1765. 5. Auguſti in AUGG. Parentum præſentia Oeniponti, Mariam Ludovicam Caroli III. Hiſp. Regis filiam, & AUG. Patri ſuo illic tum vita functo in Magno Ducatu Hetruriæ ſucceſſit. Piis conjugibus cælum complures hactenus proles impertivit 1) A. 1767. die 14. Januarii Mariam Theresiam A. A. 2) A. 1768. 12. Februarii Franciscum Josephum A. A. Principem Hæreditarium M. Ducatus. 3) A. 1769. 11. Maii

Joſephum Ferdinandum A. A. M. D. Het. 4) A. 1770. 21. Aprilis Mariam Annam A. A. 5) A. 1771. 5. Septembris Carolum A. A. M. D. H. a quibus fata quam longiſſime abſint. X. Maria Joanna Gabriela A. A. nata A. 1750. 4. Februarii † A. 1762. 23. Decembris. XII. Maria Joſepha A. A. nata A. 1751. 19. Martii, Deſponſa Regi Siciliæ Ferdinando IV. in nuptiarum apparatu † A. 1767. 15. Octobris. XIII. MARIA CAROLINA A. A. nata A. 1752. 13. Auguſti: nupſit A. 1768. 7. Aprilis Ferdinando IV. Regi Siciliæ. XIV. FERDINANDUS A. A. natus A. 1754. 1. Junii conjugio ſibi copulavit Mariam Beatricem Eſtenſem Herculis Rainaldi Mutinæ Ducis filiam, hæredem A. 1771. 15. Octobris, quo tempore Lombardiæ Auſtriacæ guberniuni ſuſcepit Mediolani. Superi Sereniſſimis conjugibus fœcunditatem concedant! vovemus. XV. MARIA ANTONIA A. A. nata A. 1755. 2. Novembris, nupſit An. 1770. 16. Maii Ludovico Augusto Galliæ Delphino. XVI. MAXIMILIANUS Archidux Auſtriæ, natus An. 1756. 8. Decembris M. Magiſtri ordinis Teutonici Caroli Lotharingi Coadjutor electus A. 1769. die 3. Octobris. Atque hæc eſt lectiſſima illa, elegantiſſimaque Auguſtæ MARIÆ THERESIÆ Prolium corona, quam cum ſingulari numinis providentia honorificentiſſimis conjugiis illigatam, ac per complures Europæ Aulas diſperſam conſidero, illud quo alias uſus fui, MAGNÆ MARIÆ THERESIÆ ſubſcribo. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Quod ut pro ſanguinis Lotharingo-Habsburgici gloria, & populorum felicitate eveniat, quod unum licet, ſincere voveo.

# CAPUT ULTIMUM.

## DE

## *Titulis & Inſignibus* Aug. *Domus Habsburgo-Lotharingicæ.*

Supereſt, ut pauca adnectam de Titulis, & Inſignibus gentilitiis Habsburgo-Lotharingicis (ſic nomino Auſtriaco-Lotharingica, & Habsburgo-Auſtriaca deigmata in unum Scutum congregata) poſtquam non ſine arcano Cœli conſilio utramque Stirpem, tametſi dudum jam in ſuis Progenitoribus eandem, novo nexu rurſus in unam vidimus coaleſcere, per auſpicatiſſimum Francisci I. cum Maria Theresia conjugium; unde natus Josephus II. Auguſtus, maximum Matris Patriæ ſolatium, Religionis Orthodoxæ potentiſſimum fulcrum, Imperii Romano-Germanici gloria, Provinciarum Auſtriacarum incomparabile firmamentum,

quem

quem præter avitum ſanguinem, Parentum immortalem famam, ſummamque potentiam, omnes reliquæ, tanto Principi convenientes, tum animi, tum corporis dotes adeo commendabilem reddiderunt, ut nemo non intelligat, Imperiale, quod geſtat, Diadema, tametſi honorificentiſſimum ſit, iſtiuſmodi tamen eſſe, ut plus ab illo ſplendoris accipiat, quam ornamenti in illum refundat: Iſte, inquam, JOSEPHUS II. Imperator noſter Pius, Felix, Auguſtus in Litteris patentibus, ſuo nomine expeditis, ſequentibus Titulis, & in Sigillis ſequentibus Armis utitur: *Nos Joſephus ſecundus Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ & Hieroſolymarum Rex; Corregens & Hæres Regnorum Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ; Magnus Dux Hetruriæ, Magnus Princeps Tranſilvaniæ; Marchio Moraviæ; Dux Brabantiæ, Limburgi, Lucemburgi, Geldriæ, Wirtembergæ, Superioris & Inferioris Sileſiæ, Mediolani, Mantuæ, Parmæ, Placentiæ, & Guaſtallæ, Calabriæ, Barri, Montisferrati, Teſchinæ; Princeps Sueviæ, & Carolopolis; Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis, Hannoniæ, Kyburgi, Goritiæ, & Gradiſcæ; Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ſuperioris & inferioris Luſatiæ; Muſſiponti, & Nomenei; Comes Namurci, Provinciæ, Valdemontis, Albimontis, Zutfaniæ, Saar Werdæ, Salmæ, & Falckenſteinii; Dominus Marchiæ Slavonicæ, & Mechliniæ &c. &c.* Servato hoc titulorum ordine ſingularum Ditionum Imagines ſeu Arma paucis deſcribemus. Aquila igitur biceps nigra, cujus roſtrum, & crura cocco tinguntur, Imperium Romano-Germanicum indicat. Ejus pectori impoſitum eſt Scutum ſat amplum, in quo collocata ſunt Arma potiorum Provinciarum, aut Regnorum, quæ aut actu poſſidet Auguſta Gens, aut olim poſſidebat. Aquilæ Imperiali videmus inſuper in orbem adjectas eſſe diverſas alias Parmulas, indices Regionum, quæ in majori ſcuto, nunc memorato, locum obtinere non valuerunt. Tanta eſt Provinciarum multitudo! Hieroſolymitanum Regnum notatur per crucem majorem auream patibulatam, & minores quatuor ejuſdem metalli in ſolo argenteo. Hoc deigmate & titulo uſi ſunt Lotharingici Principes non tam ob Godofredum Bullioneum Regem Hieroſolymitanum, quam ob ſucceſſionem Andegavenſem, quæ jura Neapolitana complectebatur. Vid. Cap. II. §. IV. & V. Hungariæ Regnum (a FERDINANDO I. Auſtriacis recuperatum, ad quod & Duces Lotharingici olim prætenſionem habere ſibi videbantur, propterea quod Reges, CAROLUS I. & LUDOVICUS I. M. Andegavenſes eidem Regno præfuerint.) Duas hodie parmas exhibet; una argento & minio octonis ductibus faſciatur; altera rubra eſt, in qua triplici colliculo viridi coronato inſiſtit argentea crux Archiepiſcopalis. Regnum Bohemiæ ſaltem a tempore FRIDERICI I. Imperatoris Leone utitur albo cum biſurcata cauda in rubeo ſolo.

Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Regna (Hungariæ olim incorporata) poſtmodum ſubſequuntur: primum geſtat tria Leonina capita coronata aurea in campo cæruleo; ſecundum clypeum teſſellis conſtat rubri & albi coloris; tertium indicatur per brachium rubro indumento tectum, & enſe ſtricto munitum in aureo campo. (*a*) Pro Archiducatu Auſtriæ a pluribus jam ſæculis adhiberi ſolet faſcia alba, quæ ſcutum rubrum interſecat. Burgundiæ parmula eſt ſexies auro, & cyano oblique a dextra faſciata, margine coccineo. Lotharingiæ Ducatum indicat parmula aurea cum obliquo baltheo rubro tribus Aquilulis argenteis impreſſo. Styria in viridi clypeo Pantheram argenteam, ſcintillas ex auribus, naribus, & ore vibrantem, adhibet. Carinthia deſignatur ſcutulo bipertito, ut unam areolam rubram faſcia dividat argentea, altera autem aurea tres gradientes Leones nigros exhibeat. Symbolum Carnioliæ repræſentat Aquilam cæruleam corona, roſtro, & cruribus coccineis, quæ pectore defert Lunulam creſcentem, ductu gemino teſſellarum ex argento, & minio variegatam. Magni Ducatus Hetruriæ Scutum aureum eſt, quinque pilis coccineis impreſſum, ſuper quas una eminet cærulea tribus Liliis Francicis figurata. Magnus Principatus Tranſylvaniæ ſeptem Montes ab antiquiſſimis temporibus in Scuto geſtavit; Aquilam ſimplicem, cum Lunæ ac Solis imagine; ſub Auſtriacorum Principum dominatione acceſſiſſe conſtat. (*b*) Marchionatus Moraviæ parmula cærulea eſt, cum inſcripta Aquila argenteis & rubris teſſellis variegata. Ducatus Brabantinus diſtinguitur clypeo nigro, cum inſcripto Leone aureo, lingua, & falculis coccineis. Limburgi teſſera eſt in clypeo argenteo Leo rubeus, corona & falculis nigris, vel juxta alios aureis. Lucemburgicum ſcutum quinis tæniis tranſverſis argenteis, & cæruleis diſtinguitur, quibus Leo imprimitur rubeus, corona, lingua, & falculis ex auro. Geldriæ inſignia ſunt duo in bipertito ſcuto ſeſe reſpicientes Leones, in priori area cærulea aureus coronatus, in altera aurea niger coronatus, quo Juliacenſis Ducatus, Geldriæ olim junctus, deſignatur. Wirtembergicum laterculum aureum tria cornua cervina nigra complectitur. Superioris

(*a*) In Sigillo majore Cæſareo, quod pro fronte opuſculi hujus expreſſum eſt, reipſa error cubat. Brachium enim armatum in campo aureo Ramæ ſeu Raſciæ regni inſignia ſunt. Sclavonia autem jam inde ab Uladislai II. Hungariæ Regis temporibus pro armis habet ſcutum duobus fluminibus horiſontaliter fluentibus in tres areas diviſum: ſuprema area, in qua ſtella collucet, & infima cæleſtini ſunt coloris; media autem a fluminibus intercepta rubei; in qua Martes naturali habitu currenti ſimilis exhibetur: quo ſolo Sclavones ante ea tempora pro armis uſi fuere: ut videre eſt in ſpecimine Heraldicæ Hungariæ, quod Viennæ Typis Joannis Thomæ Nobilis de Trattnern A. MDCCLXVI. cum Inſignium iconibus vulgavimus. Corrigendi hoc loco ſunt ſcriptores plurimi, qui aliena prorſus arma Sclavoniæ Regno attribuere, nominatim autem Doctiſſimus Pater Marquardus Hergott qui in Monumentis Aug. Domus Auſtriacæ Tomo I. Diſſ. IV. tres canes Sclavoniæ aſſignat: qui tamen Bulgariæ Regno proprii ſunt. Conſule Diſſertationem noſtram, de Tit. & Inſig. M. Thereſiæ: quam operi huic adjicimus.

(*b*) Aquila Comitatuum Tranſ. Sol & Luna Gentis Siculicæ; ſeptem turres Saxonum ſunt Inſignia. Vide ſpecim. Her. H.

ris & Inferioris Sileſiæ clypeus aureus eſt, cui inſcribitur Aquila nigra, in pectore impreſſam geſtans ex argento Lunulam cornibus ſurſum verſis, impoſita ejusdem metalli crucicula. Mediolanenſe Symbolum Boam cæruleam ternis gyris in palum circumplicatam, infantulum faucibus tenentem, auroque coronatam refert in campo argenteo. Mantuanum Ducatum indicat rubea Crux pedata, cujus quatuor angulos exornant totidem Aquilæ nigræ, roſtris & cruribus coccineis. Parmæ & Placentiæ Ducatus indicantur per ſcutum aureum ſex liliis cyaneis conſpicuum, quo ipſam Farneſiam gentem olim gaviſam fuiſſe perhibent. Guaſtallam indicat Leo aureus in planitie rubra, lingua & falculis nigris. Calabriæ deigma argenteum exhibet crucem patibulatam, nigro colore tinctam. Barrenſe Symbolum repræſentat parmulam cæruleam, quatuor crucibus brachiatis, & in imo ſpiculatis aureis diſtinctam, quarum medio inſerti ſunt duo Mulli barbati obverſi ejusdem metalli. Montisferrati clypeus argento candet, cephalo ſcutario rubeo. Teſchinenſi Ducatui, in Sileſia ſito, adſcribitur Aquila coronata aurea in cæruleo campo. Ordo me jam ducit ad Principatum Sueviæ, quo nomine nonnulli exiſtimabant Sueviæ Ducatum indicari; aſt illos erraſſe indubitatum eſt ex eo, quod, etſi Habsburgici Principes natalia ſua deducant ab antiquis Alemanniæ Ducibus, nihilominus tamen, a quo partiti fuerunt avitas ditiones cum Lotharingicis progenitoribus, nullam illi in Ducatum Sueviæ jurisdictionem exercuerunt, ſaltem uſque ad annum 1379., ubi Sueviæ Landvogtiam, ſeu Imperialem Advocatiam, aut, ut alii eam appellant, Provincialem ſuperioris & inferioris Sueviæ Præfecturam Leopoldo III. Auſtriæ Duci a Wenceslao Auguſto oppignoratam fuiſſe ſuperius Cap. III. §. V. pag. 65. indicavimus. Hujus Landvogtiæ Suevicæ gratia itaque Auſtriaci Monarchæ inter Inſignia gentilitia exprimendum quoque curarunt Scutum Suevicum in parma aurea, cui inſerti ſunt tres Pardi aut Leones nigri, lingua & falculis rubeis. Carolopolis, *Charles Ville*, eſt munimentum in ſuperiori Campania conditum a Carolo Mantuæ Duce, Principatus inſignibus gaudens; extinctis Mantuæ Ducibus, hæreditario jure pervenit ad Proſapiam Lotharingicam, cujus intuitu iſta, prout olim Gonzagarum Familia, Francica, ſed cum diſcerniculo, geſtare poſſet lilia. Habsburgi deigma eſt aureum cum Leone coccineo, corona, lingua, & falculis cæruleis. Flandriæ clypeus aureus nigrum Leonem inſcriptum habet, lingua & falculis rubeis. Tyrolim in ſolo argenteo notat Aquila rubra, cujus corona roſtrum, crura, & ſemicirculus trifoliatus alis utrinque impreſſus auro fulgent. Poſt Tyrolenſem ſequitur Hannoniæ Comitatus, quem deſignat Leo niger in fundo aureo. Kyburgi autem clypeum coccineum tranſverſus baltheus permeat aureus, utrinque comite Leone ejuſdem metalli. Venio ad Patriam meam Goritiam (quæ propter ſoli fœcunditatem, aeris ſalubritatem, ſituſque amœnitatem, quibus accedunt opti-

ma incolarum ingenia, cum Petrarcha merito compellari poteſt: (*Tellus nobilibus multum generoſior oris*) geſtantem parmulam oblique ſectam ex angulo dextro ſuperiori ad ſiniſtrum inferiorem; in areola cærulea ſuperiori Leo aureus conſpicitur, quem antiquis temporibus non Palatinatum Carinthiæ, ſed ipſum Comitatum Goritiæ indicaſſe, extra omnem eſt controverſiam: inferior autem areola baltheos habet quatuor, duos argenteos, cum totidem coccinei coloris, alternantes, quibus ſignificantur Feuda Forojulienſia a Goritiæ Regulis olim poſſeſſa, Patriarchalibus terris intermixta. Comitatus Gradiſcanus Goritiæ olim pars, quamdiu Principes Eggenbergici viguere, eorum feudum; nunc Goritiæ veluti poſtliminio reſtitutus, Inſignia auxit Goritienſia, teſſeram ex auro, & cyano transverſim ſectam, cum Cruce anchorata argentea, adjungendo. Porro Principes Auſtriaci titulum geſtant *Marchionum Sacri Romani Imperii* reſpectu Marchionatus Antverpienſis, cujus Scutum per medium horizontaliter ſectum, in ſuperiore parte aurea Aquilam Imperialem refert, cum pectori infixo ſcutulo Auſtriaco; in inferiore autem parte rubea exhibet Caſtrum argenteum, cum tribus turribus muro junctis, & duabus manibus obliquis. Imaginem equidem hujus Symboli produxit Fuggerus, ſed Ludevigius contra dubitare videtur, num illud authenticum ſit, an vero originem ingenio debeat Scriptoris? Burgovia Scutum adhibet ſex obliquis ſiniſtris baltheis argenteis, & aureis exaratum, inducto parte intermedia palo aureo. Superioris & Inferioris Luſatiæ Scutum bifariam perpendiculariter ſectum eſt, in cujus dextera parte pinnatus murus comparet in campo cæruleo; in ſiniſtra vero Bos inſcriptus eſt rubeus, ventre albicante, in campo argenteo. Quod ad Muſſiponti, ſeu Muſſipontani, vel (ut alii appellare volunt) Pontis Montenſis Marchionatum attinet, etſi a Carolo IV. Imperatore eum, favore conſanguinei Roberti Barrenſis Comitis (deinde Ducis) anno 1354. Imperii Marchionatum declaratum conſtet; peculiaribus tamen Inſignibus hactenus diſtinctum non fuit in Sigillis Auguſtiſſimorum Cæſarum Francisci I., & Josephi II. Marchionatus Nomenei, ſeu Nomenii ad Metenſem quondam Antiſtitem pertinebat; deinceps certis conditionibus conceſſus eſt Comitibus Valdimontii, a quibus & lineam noſtrorum Lotharingiæ Ducum tandem deſcendiſſe ſuperius Cap. II. §. III. IV. & V. demonſtravimus. Progreſſionem faciamus ad Comitatum Namurci, cujus ſcutum aureum inſignitum eſt Leone nigro, inducto ſcipione rubeo. Inter titulos, non autem inter Inſignia, Auguſtiſſimi noſtri Cæſaris comparet quoque Provincia Franciæ, qui Comitatus omni frugum genere abundans, Carolo III. Comite poſtremo e vivis excedente ad Ludovicum XI. Galliarum Regem devolutus eſt anno 1481., inſuper habita Lotharingiorum proteſtatione, ad quos Andegavenſium hæreditas cum ſucceſſionis jure in Provinciam ſpectare videbatur. Vide. pag. 25. Valdemontis, ſeu Valdimontii (*Vaudemont*) Comitatus (cujus ſæpius meminimus) Clypeum

habet

habet pluribus tæniolis transverſis argenteis & nigris exaratum. Albimontis, germanice *Blanckenberg*, Comitatus, verſus Alſatiam ſitus, diſtinguitur parmula rubea, duos mullos barbatos argenteos dorſis obverſis continente. Zutphaniæ Comitatus, Geldriæ conterminus, in clypeo aureo geſtat Leonem cæruleum; aut ut nonnullis magis arridet in clypeo argenteo Leonem rubrum auro coronatum. Sarwerdenſis in Auſtraſia ad Sarum amnem jacet Comitatus, cujus teſſeram nullibi deſcriptam deprehendi. Proxime poſtmodum ſubſequitur in titulo Salmæ novæ Comitatus in ſuperiori Lotharingia ſitus, cujus potiorem partem Franciſco Lotharingico Duci, & Valdimontii Comiti in dotem attulit Chriſtiana Pauli Comitis Salmenſis filia & hæres; geſtans Scutum coccineum, cruciculis aureis ſparſum, in quo gemini Salmones averſi argentei conſpiciebantur; unde conjicere licet paulo ante deſcriptum ſcutum Blankenbergicum derivatum olim fuiſſe a Salmenſibus Comitibus, qui ante Lotharingos Blanckenbergicum Comitatum poſſidebant: adeo enim exigua inter Salmones & Mullos barbatos intercedit diſparitas, ut facile eam negligere potuerint Scriptores, ab hac ſuſpicione remoti ob crucicularum defectum, quas diſcerniculi cauſa in clypeo Blanckenbergico prætermiſſas exiſtimo. Ultimus inter Comitatus in titulo numeratur Comitatus Falckenſteinenſis, qui olim ſuos peculiares habuit Comites, Imperio immediate ſubjectos, ſed ſubinde extincta eorum Familia, Falckenſteinium mutatum eſt in ſubfeudum Lotharingicum, in qua tamen conditione haud diu permanſit; etenim poſt mortem Caroli Henrici Valdimontii, ab Aulico Imperiali Conſilio Lotharingiæ Duci rurſum adjudicatum fuit anno 1725.; & in ceſſione Galliarum Regi de patrimonialibus, acquiſitis, & allodialibus ditionibus Lotharingicis anno 1735. facta, modo memorato Duci expreſſe reſervatum manſit. Supereſt ut Marchiæ Vinidorum, ſeu Marchiæ Sclavonicæ Clypeum expediamus, qui in aurea planicie Pileum nigrum inſcriptum habet, oris & loris minio tinctis. Forma hujus Pilei valde differt a modernis pileis, & plurimum accedit ad imaginem campanæ, cum qua conveniebant Pilei apud veteres. Titulorum agmen claudit Mechliniæ Dominium, Brabantiæ ambitu incluſum, quod antiquiſſimis temporibus fuit in Bertholdorum Grimbergenſium ditione; inde ad Leodienſes Epiſcopos; nec multo poſt ad Flandriæ Comites primum; mox ad Brabantiæ Duces; demum ad Burgundos & Auſtriacos tranſiit; nunc Archiepiſcopatu, & ſupremo Belgii Auſtriaci Senatu gloriatur. Inſignia fuere Scutum aureum tribus palis rubeis exaratum, ſed Imperatoris beneficio ſubinde acceſſit ſcutulum cum Aquila Imperiali, palis impoſitum.

Compendioſa hac Inſignium Auſtriaco-Lotharingicorum deſcriptione (ex P. Marquardi Hergott O. S. B. Monument. Aug. Domus Auſtr. T. I. Diſſ. IV. Philippi Jacobi Speneri Operis Heraldici Parte ſpeciali; ex Joannis Petri Lu-

# STEMMA GENEALOGICUM, OSTENDENS CONNEXIONES, QUÆ INTERCESSERE INTER AUGUSTISSIMAS PROSAPIAS

# HABSPURGICAM ET LOTHARINGICAM

## AB ETHICONE ALEMANNIÆ DUCE PROMANATAS.

Ethico I. ſeu Atticus vel Adelricus Dux Alemanniæ
Ux. Berswinda Burgunda, † circiter 693.

Ethico II. Dux Alemanniæ — Adelbertus Dux Aleman. ejus poſteritatem invenies apud Eccardum. — N. occiſus a patre — S. Odilia Abbatiſſa Hohenburg. — Hugo.

Albericus ſeu Bego I. Comes

Eberhardus I. Comes vix circ. an. 780.

Bego II. ſeu Albericus Comes † 816. Ux. Alpais Ludovici Pii Imperat. filia.

Eberhardus II. Comes † 864.

Eberhardus III. Comes Uxor Adelaidis

Hugo I. Comes. Uxor Hildegardis.

Eberhardus IV. Comes Ux. Eadiva fil. Reg. Angliæ, ſoror Edgitæ Ottonis Mag. Conjugis

Adelbertus Com. Alſatiæ † 1034. — Gerardus I. Com. Metenſis.

Gerardus II. Comes Alſat. † 1046.

Gerardus III. Dux Lotharingiæ † 1070.

Theodericus Dux Lotharing. † 1115. — Gerardus progenitor Comitum de Vaudemont.

Simon I. Dux Lothar. † 1139.

Matthæus I. Dux Lothar. † 1176.

Simon II. Dux Lothar. † 1207. — Fridericus I. Loth. Dynaſta Bidiſci † 1208.

Fridericus II. Dux Lothar. † 1215.

Theobaldus I. Dux Lothar. † 1220. — Matthæus II. Dux Loth. † 1250.

Fridericus III. Dux Lothar. † 1303.

Theobaldus II. Dux Lothar. 1312.

Fridericus IV. Dux Lotharing. † 1328. Uxor Eliſabetha filia Alberti I. Imp. Auſtr.

Rudolfus Dux Lothar. † 1346.

Joannes Dux Lothar. † 1389.

Fridericus V. † 1415. Ux. Margaretha hæres Comitatus de Vaudemont. — Carolus I. Dux Loth. † 1430.

Antonius I. Com. de Vaudemont. † 1447.

Fridericus VI. Dux Lotharing. † 1470.

Renatus II. Dux Lotharing. † 1508.

Antonius II. Dux Lotharingiæ † 1544.

Franciſcus I. Dux Lotharing. † 1545.

Carolus II. Dux Lotharing. † 1608. — Renata nupta Wilhelmo D. Bav.

Franciscus II. Dux Lotharing. † 1632. — Maria Anna Bavarica Ux. Ferd. II. Imp.

Nicolaus Franciſcus prius Cardinalis, deinde Lotharingiæ Dux † 1670. — Carolus III. Dux Lotharing. † 1675.

Carolus IV. Leopoldus Dux Lotharingiæ Gallicis & Turcicis trophæis clarus. † 1689. Ux. Eleonora Maria Auſtriaca Ferd. III. Imp. filia.

Leopoldus Joſeph. Carol. Dux Lothar. † 1729.

Carolus Dux Lothar. Mag. Mag. Ordinis Teutonici, conjugem habuit Mariam Annam Caroli VI. Imp. filiam — Franciſcus Stephanus Dux Lothar. fit Rom. Imp. † 1765. XVIII. Aug. Ux. Maria Theref. Auſtriaca Caroli VI. Imp. fil. & hæres.

Hugo II. vivebat. adhuc anno 968.

Hugo Com. Eginsheim. Ux. Heilewildis

Bruno Epiſc. Tullenſis deinde Leo IX. Papa.

Guntramus Cognomento Dives Comes Altenburgenſis. † 946.

Landelinus ſeu Lancellinus Com. Altenburgenſis † 990.

Radeboto † 1026. cujus frater Wernerus I. Ep. Strasburg. Caſtrum Habſpurgi fundavit. † 1029.

Wernerus II. Co. Habſpurg. † 1096.

Otto II. Com. Habſpurg. † 1110.

Wernerus III. Co. Habſpurg. † 1143.

Wernerus IV. Comes Habſpurgi † 1159.

Adelbertus III. Co. Habſp. & Alſatiæ Landgr. † 1199.

Rudolfus III. Com. Habſp. & Landgr. Alſat. † 1232.

Adelbertus IV. Com. Habſp. & Landgr. Alſat. † 1240.

Rudolfus Imp. Auguſt. hujus nominis primus † 1291.

Albertus I. Imp. Auſtriæ Dux † 1308.

Eliſabetha uxor Friderici IV. Ducis Lotharingiæ — Albertus Contractus Dux Auſtriæ, Styriæ, Carnioliæ, Dominus Marchiæ Vinidorum &c. 1358.

Leopoldus III. Probus D. Auſtriæ † 1386.

Erneſtus Ferreus D. Auſtriæ † 1424.

Fridericus III. vel IV. Imperator † 1493.

Maximilianus I. Imperator. † 1519.

Philippus Hiſpaniarum Rex † 1506.

Carolus V. Imp. a quo Reges Hiſpaniarum Auſtriaci deſcendebant. † 1558. — Ferdinandus I. Imp. Hung. & Bohem. Rex † 1564.

Carolus Archidux Auſtriæ † 1590.

Ferdinandus II. Imp. Hung. & Boh. Rex † 1637. Uxor Maria Anna Bavarica.

Ferdinandus III. Imp. Hung. & Boh. Rex † 1657.

Eleonora Maria ſecundis votis nupta Carolo Leopoldo Duci Lotharingiæ. — Leopoldus Mag. Imp. Hung. & Boh. Rex † 1705.

Carolus VI. Imper. Hiſpaniæ Hungariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Auſtriæ &c. † 1740.

Maria Thereſia Hung. & Boh. Regina, Archidux Auſt. &c. &c. Maritum habuit Franciſcum Stephanum Ducem Lothar. & Imperatorem creatum. — Maria Anna Arch. Auſtriæ nupſerat Carolo Duci Lotharingiæ.

Joſephus II. Imp. Aug. — Petrus Leopoldus Mag. Dux Hetruriæ. Conjux. Maria Ludovica Bourbonia Infans Hiſpaniarum. — Ferdinandus Archidux. — Maximilianus Archidux.

Maria Thereſia A. A. nat. 14. Januarii 1767. — Franciſcus Joſephus A. A. PrincepsHæred. M. D. Hetr. nat. 12. Febr. 1768. — Ferdinandus Joſephus A. A. nat. 5. Maii 1769. — Maria Anna A. A. nat. 21. April 1770. — Carolus A. A. nat. 5. Sept. 1771.

# ARBOR PROGONOLOGICA

DUORUM MILLIUM QUADRAGINTA ET AMPLIUS MAIORUM

# MARIÆ THERESIÆ

FILIÆ PRIMOGENITÆ

CÆSAREO-REGII PRINCIPIS

# PETRI LEOPOLDI

ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, DUCIS LOTHARINGIÆ ET BARRI,

MAGNI DUCIS HETRURIÆ

*dicata, & exhibita Anno MDCCLXVII. die XXVI. Aprilis*

AUGUSTISSIMÆ, POTENTISSIMÆ, GLORIOSISSIMÆ, AC CLEMENTISSIMÆ

# MARIÆ THERESIÆ

IMPERATRICI,

GERMANIÆ, HUNGARIÆ, ET BOHEMIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

SUMMORUM CÆSARUM

FILIÆ, SPONSÆ, MATRI

PRÆDICTÆ NEO-NATÆ MARIÆ THERESIÆ ARCHIDUCIS AVIÆ PATERNÆ.

*Ab humillimo Compilatore*

Rudolfo Coronino Sac. Rom. Imp. Comite de Cronberg Cæſareo Regio Camerario, ac Supremi Capitaneatus Goritiæ, & Gradiſcæ Conſiliario actuali, nec non plurium Academiarum Socio.

Q

*Carmen ad neo-natam Archiducem* MARIAM THERESIAM, *in quo Author feliciter prædixerat nativitatem fratris Franciſci Joſephi, qui poſt modum primam lucem aſpexit anno 1768. die xii. Februarii.*

AURORA O SALVE, VENTURI NUNCIA PHOEBI,
O DECUS HETRUSCI DELICIUMQUE POLI!




# AUGUSTISSIMA IMPERATRIX REGINA

## DOMINA DOMINA CLEMENTISSIMA!

NIl unquam mihi charius antiquiusque fuit, Auguſta! quam ingenii mei, qualescumque demum, fœtus, & cætera obſequia omnia Auguſtiſſimæ Familiæ tuæ ea, qua decet, demiſſiſſima veneratione conſecrare. Eos demum annos me vixiſſe ſemper exiſtimabam, quos in præclaro aliquo Principis meæ Clementiſſimæ vel commodo, vel ornamento conſumpſi. Cum etenim adhuc in Collegio Thereſiano inter Jurisprudentiæ Alumnos verſarer anno 1750., nullum tributum illuſtrius, quam de rebus illis, quæ ad mentem pertinent, quæque ingenio (nobiliſſima ſcilicet hominis facultate) comparantur, ratus, Orbis Austriaci Tabulam Geographico-Historicam, improbo fere labore concinnatam, Regiæ Celſitudini Archiducis Mariæ Chriſtinæ, filiæ digniſſimæ Majeſtatis tuæ (quæ locum illum gratioſiſſima præſentia ſua forte illuſtraverat) de genibus præſentavi: ut cum illam intueretur, magis magisque animum,

Q 2 bonis

bonis alioquin artibus imbutum, ad virtutem accenderet, & memoria rerum a Majoribus ſuis geſtarum ſtimulata, eorum famam ſubinde, atque gloriam (quantum quidem conditionis ſuæ rationes admittere viderentur) adæquaret.

Ternas alias paulo poſt hujuſcemodi Tabulas; Hispaniæ nimirum Magnæ Britanniæ, ac Daniæ Regna repræſentantes ibidem, in Collegio nempe Thereſiano, delineaveram, in quarum prima ſæpiſſime immortalia Anteceſſorum tuorum facinora debita cum laude memoravi.

In eodem præterea Collegio tuo duorum annorum intervallo, & Bibliothecæ Garellianæ ſubſidio, Tentamen meum Genealogico-Chronologicum promovendæ feriei Comitum, et rerum Goritiæ conſcripſi, quod anno 1753. typis vulgatum, una cum *Theſibus ex univerſo jure Publico*, *Naturæ*, *ac Gentium* ſub glorioſiſſimis Majeſtatis tuæ auſpiciis (cuilibet facta argumentandi copia) publice propugnavi: eo demum ſucceſſu, ut inde Aureo Torque a moderno S. R. I. Principe de Kevenhüller Cæſareo Ablegato condecoratus diſcederem; quod Regiæ munificentiæ pignus ego poſtmodum devovi celeberrimæ Thaumaturgæ Deiparæ Goritienſi, in Monte Sancto ſupra Salcanum ſub glorioſa Icone ingenti populorum concurſu honoratæ; tum ut religionis, pietatis, & ſtudii mei in glorioſiſſimam Virginem; cum ut liberalitatis Regiæ erga infimum Vaſallum perpetuum tanto in Sacrario exiſteret monumentum.

Sed non tantum in Collegio Thereſiano ſimilia officia mihi cordi fuere; inde etiam egreſſus omnes meas cogitationes eo ſemper direxi, ut me indefeſſum Servum, & fideliſſimum Clientem cunctis in occaſionibus exhiberem. Inter vetuſtas Familiæ meæ Tabulas in Autumno prædicti anni 1753. inveneram Autographam Conventionem, a quodam Auguſtiſſimo Anteceſſore Tuo initam cum potentiſſimo quodam vicino diverſæ Religionis Principe, Regni unius hæreditarii limites concernentem; quam cum ego conſiderarem non ſine gravi periculo in privatis manibus ulterius poſſe commorari, Membranam illam Imperiali ſubſcriptione & Sigillo munitam illico per Dominum Antonium de Roſenthall, Supremum Aulicum Archivarium, & Conſiliarium Majeſtatis Tuæ humillime offerre non prætermiſi; unde intrante Decembri Tuo Regali Nomine a ſanctiore Senatu Literas favoris plenas accepi, quæ maximo quoque ſolatio moribundo tunc parenti meo obvenerunt.

Anno 1756. Chorographicam Principalium Goritiæ, & Gradiscæ Comitatuum Mappam, æri Vindobonæ inciſam, regnanti Auguſtiſſimo Imperatori Josepho II., cum adhuc Archidux eſſet, clementiſſime annuente Majeſtate Tua, dedicavi.

Annis

Annis 1757. & 1758. Rectificationis negotium tanta juſtitia, fidelitate, ac moderatione (abſit jactantia) a me geſtum eſt, ut ſine detrimento Ærarii gratus forem Subditis, & a pluribus Dynaſtis voluntarie hoſpitio exceptus, difficilem, & exoſam alias Commiſſionem placide ac ſedate terminarem.

Interea cum prædicto anno 1758. ad Dominum Mariam Joſephum Comitem ab Auerſperg, Supremi Goritiæ Capitanei vices ſuſtinentem, Aquileja translatæ fuiſſent diverſæ Sanctorum Reliquiæ, neque quisquam hic probe interpretari ſciret eis adnexas veteres inſcriptiones, oblata opportunitate uſus compoſui Dissertatiunculam meam de Origine Præpositurae Sancti Stephani prope Aquilejam, quam typis Tridenti (ſeu potius Utini) vulgatam idem Comes una cum laudatis Reliquiis Sacratiſſimæ Tuæ poſtmodum conſignavit Majeſtati.

„ His operibus accedit Diſſertatio de origine Familiarum de Valdſtein & „ Vartenberg edita Goritiæ A. 1765. Faſtorum Goritienſium Tomus I. Miſcel- „ laneorum pariter Tom. I. A. 1769. Denique vita S. Euroſiæ A. 1771. vulgata. „ Quid jam dicam de secunda ſupradicti Tentaminis mei, pluribus acceſſionibus locupletata, Editione, quam rurſus anno 1759. ut ſub tanto Tuo Auguſto Nomine, & auſpiciis in lucem producerem, clementiſſime indulſiſti? Quid quod ternis jam vicibus Vindobonam me contulerim ad præſtanda conſueta Camerariorum obſequia? Quid quod undecim annis Supremi Capitaneatus Goritiæ & Gradiſcæ quartum, ſine ſtipendio, agam Conſiliarium (a)? Nonne iſta omnia per ſe ſatis mani-

(a) Quod deinde ſtipendium, ſeu ſalarium non ſolum ab Augustissima Imperatrice Regina mihi gratioſiſſime mox conceſſum fuit; ſed tot ſubinde alia emolumenta, honoresque ab ejusdem munificentia retuli, ut Cæſareo-Regio Principi Ferdinando Archiduci Austriæ, ad cujus interceſſionem in Autumno proxime præterlapſo annuam quoque octingentorum florenorum penſionem obtinueram, ejuſcemodi Literas ſcripſerim: *Ceſareo-Regio Principe! Coll' ordinario ultimamente paſſato ebbi la notificazione dalla Ceſarea Regia Caſſa Camerale di Lubiana, che colà mi ſia ſtata aſſegnata la penſione d' annui fiorini* 800. *mercè la validiſſima mediazione dell' Altezza Voſtra Reale dalla Sovrana munificenza placidatami. In sì lieto incontro mi ſi riſveliarono tutti que' ſentimenti di riſpettoſiſſima gratitudine, che indelebilmente conſervo impreſſi nell' animo mio verſo Principe, che con impareggiabile Clemenza ſi degna onorarmi e dell' alto ſuo patrocinio, e di continue ſegnalate beneficenze a gara, per dir così, coll' Auguſtiſſima ſua Caſa. Ed in fatti (per non rammemorare una Collana d' oro, e due Anelli preziosiſſimi ſtatimi regalati) la Carica già* 15. *anni conferitami di Cameriere, e Ceſareo Regio Conſigliere; il fregio ultimamente ottenuto di Cavaliere di S. Stefano; e finalmente la penſione ora deſtinatami colla mediazione di Voſtra Altezza Reale ſono clemenze tutte, che non ſogliono allignare, che preſſo l' Invittiſſima, e Magnanima ſua Proſapia: e perciò in quanto permetteranno le fiacchiſſime mie inſufficienze procurerò ognora di ſagrificare fatiche, ſtudio, fedeltà, tempo, e vita, onde teſtificare la mia riconoſcenza, ed il vero carattere d' un Vaſſallo originario, in sì fatta maniera beneficato. Felici ſaranno que' Popoli, che avranno un dì la bella ſorte d'eſſere da Voſtra Altezza Reale governati, ſcorgendoſi in lei il vero ritratto d'una* Madre, *che ſiccome in* Dio *(di cui i Principi mondani ſono un riverbero) fa pompa il divino attributo della Miſer cordia; così in Eſſa riſplende in ſummo grado la Clemenza fra le altre virtù tutte, mediante le quali (ſenza partecipare delle imperfezioni, che un dì oſcurarono la gloria delle Tamiri, e delle Eliſabette) vinſe di gran lunga i più famoſi Eroi dell' antichità; e li vinſe in guiſa tale, che follia ſarebbe il ſolo paragonarla alli medeſimi.*

ſeſte loquuntur, me in votis (quod ajebam) ſemper conſervaſſe, ut quidquid labore, & ingenio aſſequi poſſem, id omne Principis, & Reipublicæ commodis aliquando deſerviret?

Neque diverſum modo ab ejuſcemodi inſtituto propoſitum mihi fuit, Glorioſiſſimo Nomini Tuo hancce Progonologicam Opellam conſecrando. Habes in ea bis mille quadraginta & amplius Majores nuper in Hetruria natæ Archiducis Mariæ Thereſiæ, quos ego unius anni intervallo ex fide dignis Authoribus, & Archiviis (*a*) uno pluribus extractos, eo quo vides ordine, majori ac verbis exprimi poſſit volupta-

*mi. Io ſono il fortunato di ſperimentarne dall' Altezza Voſtra Reale nel primo fiore de l' età ſua i propizi effetti di queſte veridiche mie predizioni, e d' averne prove efficaci, che ſiegue le Clementiſſime orme dell'* Immortale sua gran Madre: *onde inchinato a' grazioſiſſimi ſuoi piedi, rendo mille ringraziamenti a Voſtra Altezza Reale col più intimo de miei oſſequj per gl' incomodi ſofferti nella benigniſſima aſſiſtenza, preſtata a favor mio in queſt' incontro. Supplico umiliſſimamente l' Altezza Voſtra Reale conſervarmi l' adorabile ſua grazia, ed augurandole con ogni fervore dal Cielo adeguato guiderdone, con lunga ſerie di tutte le proſperità deſiderabili, colla più profonda ſommeſſione mi proſtro. Gorizia alli 29. Gennajo 1770. Dell' Altezza Voſtra Reale Umiliſſimo e Fedeliſſimo Servitore Rodolfo Coronini Conte di Cronberg.* Integrum Literarum tenorem typis iſthic vulgandum curavi, tum ut novum Auguſtæ munificentiæ documentum Lectoribus exhiberem; cum vel maxime ut Ferdinandi Archiducis incomparabilem in me clementiam, atque commendabilem in omnes benignitatem grata ejuſcemodi commemoratione magis magisque manifeſtam redderem. Hæc Excell ac Doct. Comes Autor: qui poſtquam A. 1771. die XV. Novembris ab intimis Conſiliis eſſe juſſus eſt, hoc carmine *Utini* impreſſo celebratus fuit.

*In Occaſione che dalle loro Imperiali, Regie, ed Apoſtolica Maeſta ſua Eccellenza l' Illuſtriſſimo Signor* Rodolfo Coronini *del S. R. I. Conte di Cronberg, Signore di Quisca, Sarcina &c. &c. Libero Barone di Prebacina e Gradiscata Cavaliere dell' ordine di S. Stefano, Cameriere della Chiave d' Oro &c. E' Stato Dichiarato Conſiliere Intimodi Stato.*

Al canto, o Muſa. Oh quale illuſtre ſegno
Oggi lo ſcopo ſia de' tuoi concenti!
Canta d'un aureo cor, d'un divo ingegno,
E d'opre glorioſe ai dì vegnenti.

Canta d'un Sol, che i patrj faſti, e 'l regno
Di Carno illuminò non rai fulgenti.
Canta del chiaro Iſonzo il nobil pegno,
RIDOLFO, onor delle Giuliache genti.

No: taci, o Muſa. Avrian dal canto offeſa
Pregi non finti, or che Caſtalia laude
Schiava è di ſozza adulazion profana.

Taci. Parla per te la gran TERESA,
Che 'l merto eſalta, e a bel valore applaude;
E più parla ſvenendo Invidia inſana.

(*a*) Inter Archivia, quæ mihi neceſſarias ad hanc Progonologicam Arborem ſubminiſtrarunt notitias, (ut celeberrimas Bibliothecas omittam, Cæſaream nempe Vindobonenſem, & Venetam Zenianam, nunc FF. Ordinis Præd. Conventus SS. Roſarii, in qua inveni rariſſimam Hiſtoriam Familiæ Capizucchæ conſcriptam a Vincentio Armanno Nobili Eugubino, cum Appendice ad eandem Hiſtoriam pertinente, edita Romæ anno 1680.) inter Archivia, inquam, hujus Progonologiæ gratia, pervoluta, præcipue commendari merentur Cæſareum Vindobonenſe Aulicum, & Ducale Mutinenſe Tabularium, nec non Archivia Romana: Pamphilium, Borgheſianum, & Chigianum, quæ Augustinus Princeps Chigius Cæſarearum Majeſtatum Cubicularius, & Aurei Velleris Eques, Amicus meus ſingularis, incomparabili humanitate perſcrutanda curavit, uti manifeſtum fit ex Epiſtola tenoris infraſcripti: *Non le recherà alcuna maraviglia, ſe fin' ad ora ho tardato di riſpondere alla ſtimatiſſima ſua per eſſervi voluto del tempo a fare le neceſſarie ricerche nell' Archivio Panfilio, e Borgheſiano, oltre il mio proprio. Tutto ciò che ſi è potuto eſtrarre confacente al ſuo nobile deſiderio, e diſegno, lo troverà notato nelli anneſſi due Fogli. In altro che io poteſſi ſervirla, m' impiegherò ben volentieri*

voluptate contexui, maxime quod Arborem iſtam non tantum pro Magni Hetruriæ Ducis ſobole, ſed etiam pro Regis utriusque Siciliæ futura prole, mutatis ſolis duobus Nominibus inſervituram præviderem. Nimirum cum Magni Ducis Soror Archidux, Filia Majeſtatis Tuæ, matrimonio ſit jungenda Regi Neapolitano, Fratri Infantis Mariæ Ludovicæ præſentis Magni Ducis Hetruriæ Conjugis, utrorumque Filii eosdem prorſus communes agnoſcunt glorioſos Avos, Proavos, Abavos, Atavos, Tritavos &c., quos hic præ oculis exhibeo. (*a*)

Interea acceptare dignetur Majeſtas Tua hanc Opellam Sacratiſſimo Nomini tuo conſecratam, non quod ratione laboris mei dignum quid Majeſtate Tua adferre me putem, ſed quod intelligam operis texturam ipſam, propter Perſonas hanc Arborem componentes, ingratam tibi accidere haud poſſe: tum etiam, ut novum aliquod ſaltem tenue animi hujus, ac voluntatis meæ pignus extet, quo teſtatum facerem, me nihil ardentius cupere, quam ut in omni vita dici merear

*ri ad ogni ſuo avviſo, proteſtandomi ſinceramente. Roma 5. Aprile 1766. Del Sig. Conte Devotiſſ. & Obligatiſſ. Servit. Agoſtino Principe Chigi.*

(*a*) Eximia hæc Arbor Progonologica pro innato in Auguſtam Domum ſtudio & obſervantia in privatos ſolum uſus concinnata fuerat: at poſtquam eadem A. R. P. Henrico Kerens e S.J. tum Collegii Regii Thereſiani Viennenſis Rectori hodie Auguſtæ Dominæ gratia Epiſcopo Ruremondano, tum vero Excell. D. Samueli L. B. a Bruckenthal AUGG. M. M. Conſil. Intimo Tranſil. Provinciali Cancellario, Commiſſionis Tranſilv. Præſidi, & Cornelio L. B. a Neny Conſil. Aulico intimo Cabineti ſecretario Inſignis ordinis S. Stephani Regis Apoſtolici Equitibus communicata fuiſſet, tanti opus hoc æſtimavere, ut dignum cenſuerint, quod Auguſtæ Dominæ oculis exhiberi poſſit. Id quod ubi iisdem auctoribus factum fuiſſet, mirifice placuit Auguſtæ literariorum id genus laborum munificæ æſtimatrici: quæ res poſtea in cauſa fuit, ut arbor hæc publici juris efficeretur.

SACRÆ MAJESTATIS TUÆ

CLIENTUM INFIMUS, RUDOLFUS CORONINUS,
COMES DE CRONBERG.

Tabel-

## *Tabella I. Progonologica.*

Maria Thereſia Archidux nata XIV. Januarii 1767.

Franciſcus Joſephus Archidux Auſtr. Princeps hæreditarius Hetruriæ natus XII. Februarii An. 1768.

Ferdinandus Joſephus Archidux natus V. Maii 1769.

Maria Anna Archidux nata XXI. April 1770.

Carolus Archidux natus V. Sept. 1771

- Petrus Leopoldus Archidux Auſtriæ, Magnus Dux Hetruriæ.
  - Franciſcus I. Imperat. Aug., Dux Lotharingiæ, & Magnus Dux Hetruriæ.
    - Leopoldus Ioſephus Carolus Dux Lotharingiæ.
      - Carolus Leopoldus Dux Lotharingiæ.
        - Vide Tabellam IIdam
        - Vid. Tabellam IIItiam
      - Eleonora Maria Archidux Auſtriæ.
        - Vid. Tabellam IVtam
        - Vid. Tabellam Vtam
    - Eliſabetha Charlotta Aurelianenſis.
      - Philippus I. Borbonius Dux Aurelianenſis.
        - Vid. Tabellam VItam
        - Vid. Tabellam VIImam
      - Charlotta Eliſabetha Palatina.
        - Vid. Tabellam VIIIvam
        - Vid. Tabellam IXnam
  - Maria Thereſia Imperatrix, Regina Hung. & Bohem. Archid. Auſtriæ.
    - Carolus VI. Imp. Auguſ. Hiſp. Hung. & Bohem. Rex Arch. Auſt.
      - Leopoldus Mag. Imp. Aug. Hun. & Boh. Rex.
        - Vid. Tabellam Xmam
        - Vid. Tabellam XImam
      - Eleonora Magdalena Palatino-Neoburgica.
        - Vid. Tabellam XIImam
        - Vid. Tabellam XIIItiam
    - Eliſabetha Chriſtina Brunſvicenſis.
      - Ludovicus Rudolfus Dux Brunſvicenſis in Blanckenberg.
        - Vid. Tabellam XIVtam
        - Vid. Tabellam XVtam
      - Chriſtina Luiſa Principiſſa Oettingenſis.
        - Vid. Tabellam XVItam
        - Vid. Tabellam XVIImam
- Maria Luiſa ſeu Ludovica Borbonia Infans Hiſpaniarum.
  - Carolus III. (aliis IV.) utriusque Siciliæ, & deinde Hiſpaniarum Rex.
    - Philippus V. Rex Hiſpaniar. Dux Andegavenſis.
      - Ludovicus Delphinus Franciæ.
        - Vid. Tabellam XVIIIvam
        - Vid. Tabellam XIXnam
      - Maria Anna Bavarica.
        - Vid. Tabellam XXmam
        - Vid. Tabellam XXImam
    - Eliſabetha Farneſia.
      - Edoardus II. Farneſius Parmæ & Placentiæ Dux.
        - Vid. Tabellam XXIIdam
        - Vid. Tabellam XXIIItiam
      - Dorothea Sophia Palatino-Neoburgica.
        - Vid. Tabellam XXIVtam
        - Vid. Tabellam XXVtam
  - Maria Amalia Chriſtina Saxonica.
    - Fridericus Auguſtus Rex Polon. Elector Saxoniæ.
      - Fridericus Auguſtus ſenior Rex Poloniæ, Elector Saxon.
        - Vid. Tabellam XXVItam
        - Vid. Tabellam XXVIImam
      - Chriſtina Eberhardina Brandeburgo-Culmbacenſis.
        - Vid. Tabellam XXVIIIvam
        - Vid. Tabellam XXIXnam
    - Maria Joſepha Archidux Auſtriæ.
      - Joſephus I. Imp. Hung. & Boh. Rex Archid. Auſtriæ.
        - Vid. Tabellam XXXmam
        - Vid. Tabellam XXXImam
      - Wilhelmina Amalia Hannoverana.
Poſtquam Colomanus Belgradi coronatus fuit, jus in Dalmatiam, cujus pars aliqua ut diximus, ſua jam erat, ſe acquiſiviſſe exiſtimavit; Regio autem Dalmatiæ etiam maritima nonniſi triennio poſt S. Coronæ Hungaricæ clientelam profeſſa fuit. Colomanus fortunæ ſibi faventi inſiſtendum ratus, iisdem, quibus ante Croatas, benevolentiæ ſtudiis Dalmatinorum animos ſibi conciliandos putavit. Primi omnium Jadrenſes A. 1105. Colomano fidem ſuam obligavere (*a*), quorum exemplum Tragurini aliique mox imitati, iisdem, quibus ante Croatæ, pactis in S. Coronæ Hungaricæ jus abiere. Univerſa demum, qua patet Dalmatia, ſub Stephano II. Rege A. 1124. Hungariæ copulata fuit. Ceterum jam ab A. 1105. usque ad noſtram ætatem uſu nunquam intermiſſo, Reges Hungari ſe Dalmatiæ & Croatiæ Reges appellavere, atque in ſigillis ſuis uſi fuere Dalmatiæ ſcuto, quod cæleſtini coloris eſt, triaque Leopardorum capita coronata oſtentat. Turbatis paulo tardius, præſertim ſub Andrea III., ob Matrem Venetam Thomaſſinam Veneto dicto, Hungariæ rebus, nonnullæ Dalmatiæ urbes, ac inſulæ imprimis ad Venetos tranſiere. Ludovicus M. Rex Hungariæ eam jurium, ditionumque S. Coronæ ſuæ diminutionem non ferens, per Legatos primum totius Dalmatiæ reſtitutionem a Venetis poſtulavit: quæ petitio, quia ſurda tum aure accepta fuit, Ludovicus Magnus immiſſo per Tarviſium in Venetas ditiones exercitu altero; altero autem in Dalmatia rem ſtrenue gerens; cum una ejus fœderati Claſſibus ſuis mare adriaticum infeſtum redderent: Venetos terra marique preſſos eo redegit; ut ſupplices pacem peterent, quæ etiam, ſed Victoris arbitrio, data fuit. Præcipua ejus Capita fuere: ut Veneta Reſpublica Dalmatiam Univerſam, inde a Dyrrachio usque Iſtriam, cum Inſulis omnibus Ludovico M. Regi ejusdemque S. Coronæ reſtituerent; atque una titulis juribusque omnibus interpoſita jurisjurandi religione in perpetuum renunciarent. Id quod etiam A. 1358. præſtitum fuit. Atque ſic Ludovicus Magnus Dalmatiæ univerſæ Dominus poſtliminio evaſit (*b*).

Scla-

(*a*) Dalmatiæ acquiſitæ memoriam tuetur inſcriptio Jadræ facta, a Lucio vulgata Lib. III. Cap. III. „ Anno Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti MCV. Indictione III., Regnante piiſſimo „ Colomano, Croatiæ & Dalmatiæ Primo Anno, „ quo triumphaliter Jadram ingreſſus eſt. „ Extat alia adhuc inſcriptio, quam Colomanus Rex turri S. Mariæ incidi curavit. ibid.

ANNO INCAR. DNI. NRI. IHV. XPI. MIL. CV.
POST VICTORIAM ET PACIS PRAEMIA
JADERAE INTROITVS A DEO CONCESSA.

PROPRIO SUMTU HANC TURRIM
SCÆ MARIÆ VNGARIÆ DALMACIÆ
CHROATIÆ CONSTRUI ET ERIGI
JUSSIT REX COLOMANUS.

(*b*) Tabulas Concordiæ A. 1357. die 28. Novembris Jadræ initæ, ratas habuit ſereniſſima Reſpublica Veneta anni inſequentis 1358. die 25. Februarii, appoſitis Primorum ſenatorum, qui totius Reipublicæ nomine jusjurandum nuncuparant, nominibus. Juvat partem tabularum huc inferere, ut quantum ea occaſione S. Coro-



na-

Sclavonia ut olim Pannoniæ; ita jam D. Stephani temporibus Hungarici Regni pars fuit: neque unquam ante Mathiam Corvinum in titulis Regum apparuit. Sæpius per Regum filios *Ducum Sclavoniæ* nomine adminiſtrata fuit; potiſſimum autem eidem præfici conſuevere *Bani*; erat hæc militaris apud Hungaros dignitas, qua limitanearum arcium ditionumque præfecti deſignabantur: horum erat vigili in vicinorum hoſtium molimina oculo intendere, ſolertique limitum tutela Regis Regnique ſecuritati proſpicere. Uladislaus II. Sclavonicæ Gentis militarem virtutem fidemque remuneraturus, vetera ejusdem inſignia innovavit, auxitque, collato ſcuto triangulari, quod gemini fluvii horiſontaliter ducti in tres areas dividerent: ſumma area in qua ſtella fulget, ac infima cærulea eſt: media vero fluminibus intercepta coloris rubei, quam Mars currenti ſimilis, vetus Gentis inſigne, occupat. Quid ſingula hæc denotent, Uladislaus II. ſuo in diplomate copioſe explicuit. (*a*).

## §. IV.

### *De* Ramæ *ſeu* Rasciæ *ac* Serviæ *Regnorum Titulis atque Inſignibus.*

Proximo poſt Sclavoniam in diplomatibus loco eſſe ſolet Rama ſeu Raſcia, Majoris Serviæ inde a Danubio ad mare usque protenſæ portio, a cognomine fluvio ſic appellata. Regnum hoc a Colomano Rege armis olim ſubactum titulisque regiis adjectum, (*b*) ſed forte injuria temporum amiſſum poſtliminio recepit

pit

næ Hungaricæ acceſſerit, intelligi poſſit. Sic autem habet: „ Nos *Venetorum Legati* habentes „ ad infra ſcripta plenam &liberam poteſtatem — „ effectualiter renunciamus de facto, in manibus „ ſupra dicti Regis, Ludovici ſuo & ſucceſſorum Regum Hungariæ nomine, toti Dalmatiæ „ a medietate Guarnarii usque ad confines Duratii, omnibus Civitatibus, Terris, Caſtris, Inſulis, „ Portubus, & juribus, quæ habuiſſemus & tenuiſſemus, habebamus & tenebamus in eisdem quoquo „ modo, & ſpecialiter civitatis Nonæ, Jadræ, Scardone, Sibenici, Tragurii, Spalati, Raguſii, in terra firma exiſtentibus. Item civitatibus — — „ Cherſo, Veglia, Arbo, Pago, Brachiæ, Leſinæ, Curſulæ, cum Inſulis earundem, cum „ omnibus pertinentiis & utilitatibus earundem „ ac titulis Dalmatiæ & Croatiæ, quibus uti „ conſueveramus, & totum ipſorum Jus & Dominium & proprietatem, ſiquas habuiſſemus, in ipſum „ Dominum Regem & ſucceſſores ſuos ſponte & „ deliberate, & cum maturitate transferentes, „ renunciantes omni inſuper actioni, & omni „ juris & legis beneficio, promittentes ſolenniter, ſub vinculo ſacramenti, pro nobis & „ Communi *id eſt Republica* Venetorum corporaliter „ præſtiti, de ipſa Dalmatia, Civitatibus, Terris, „ Caſtris, Locis, Inſulis, Juribus & Titulis, ac „ ipſorum poſſeſſione ſeu dominio, nullo unquam „ tempore per nos vel alios nos intromittere „ vel aliqualiter impedire, usque ad confines „ ante dictos, &c. Tabulas integras lege apud Lucium Lib. IV. Cap. XVII. pag. 227. De Ludovici M. duplici bello adverſus Venetos conſule Annales Reg. Hung. & Notitiam Rer. Hung. Part. II. a pag. 57. uſque ad pag. 71.

(*a*) Diploma hoc integrum vulgavimus in ſpecimine Heraldicæ Hungariæ pag. 59.

(*b*) Lucius Lib. III. recitat Colomani Regis Diploma 1103. datum, in quo Hungariæ Dalmatiæ Croatiæ Ramæque ſe Regem ſcribit.

pit Bela II. cœcus, idque dotis nomine, ab Vroſio Serviæ Rege (a), cujus filiam Helenam mulierem ſane quam præſtantiſſimam conjugio ſibi copulaverat A. 1128., ampliſſimæ, quæ deinceps Hungaris imperavit, poſteritatis Matrem. Quapropter poſt Stephani II. A. 1131. ſublati obitum, regno Hungarico potitus Bela II. Ramæ titulo uſus fuit (b): quem morem ab ejus filio ac in Regno ſucceſſore Geisa II. obſervatum fuiſſe diplomata oſtendunt (c). Ceterum Ramæ Regnum paulo arctius iterum juribus S. Coronæ Hungaricæ copulatum fuit ſub Bela III. Rege. Hunc vivo ejus fratre Stephano III Rege, Manuel Comnenus Græcorum Imperator in pueritia adhuc Conſtantinopolim traductum, in aula ſua, in ſpem Orientalis imperii, quia hærede tum adhuc carebat, principe dignis artibus inſtituendum ſuſceperat, ſpecieque tutelæ Hungarici Principis, Sirmium huicque conterminas ditiones, quas inter Rama etiam fuit, vi ab Hungaria avulſas, per Græcos Præfectos adminiſtrabat. At poſtquam Stephano III. demortuo Ordinum Hungariæ ſuffragia in Belam ad ſolium evehendum conſpiraſſe intellexit; non modo Principem ipſum, cujus ſingularem ad eum diem curam geſſerat, auguſta plane pompa in Hungariam deducendum curavit, verum etiam univerſum ejus patrimonium S. Coronæ Hungaricæ ultro reſtituit. Quapropter minime mirum eſt Belam III. in ipſo regni aditu ceteros inter titulos Ramæ ſe Regem nominaſſe (d): id quod omnes deinceps illius in regno ſucceſſores uſu conſtante roborarunt. Sunt qui Ramam eandem eſſe affirmant cum Boſniæ Regno, quod ab invictiſſimo Rege Mathia Corvino, profligato Mahomete, juribus S. Coronæ reſtitutum fuit. Quapropter eadem utrique Regno tribuuntur inſignia: Brachium videlicet gladio armatum in campo rubeo.



(a) Uroſii Serviæ Regis nummus argenteus ſane quam rarus exſtat in Hungarico Cimelio Ill. D. Comitis Joannis Nepomuceni Eszterhazy de Galantha; mole adæquat groſſum noſtratem: parte adverſa geminæ figuræ humanæ ſtantes apparent: altera capite radiato cum epigraphe S. STEPHANVS quæ haud dubie Proto-Martirem deſignat; altera Uroſium Regem refert cum epigraphe VROSIVS - - REX. Parte adverſa Servator mundi uſitato apud Græcos habitu vultu radiante conſpicitur.

(b) In Literis fundationis Præpoſituræ S. Stephani de Bozok hoc initium legitur. Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Ramæque Rex — — — anno ab Incarnatione Domini MCXXXV.

(c) Privilegium Capitulo Strigonienſi datum ſic orditur Geiſa II: „ In Nomine Domini — Anno ab Incarnatione D. N. JESV Chriſti MCLVII. Indictione V. Epacta VII. menſis Martii: Ego Geiſa Dei gratia Hungariæ Dalmatiæ Croatiæ Ramæque Rex — — anno Regni mei XVII.

(d) Literæ Belæ III. quas ipſo die Coronationis dedit ſic habent: „ Ego Bela Dei gratia Hungariæ Dalmatiæ Croatiæ Ramæque Rex divina diſponente clementia ſuſcipio coronam de manu Colocenſis Archiepiſcopi, ſed non in præjudicium Strigonienſis Eccleſiæ, quo minus Hungarici Reges ab ejusdem Eccleſiæ Archiepiſcopis ſemper debeant in poſterum coronari „ — — In Annal. Hung. ad annum cit.

Serviam quæ Ramam aut Boſniam inter atque Bulgariam interjacet, S. Coronæ Hungaricæ A. 1202. ſubjecit, titulisque regiis primus adjunxit Emericus ſive Hemericus Rex (*a*), cum victo exauctoratoque ſibi infeſto Stephano gentis rege, ejus germanum Vulcum ſeu Lupum nomine regno præfecit, Clientelæ jure S. Coronæ Hungaricæ futurum obnoxium. Id nempe ſolenne habuere Hungari Reges, ut quas ſubegiſſent gentes, ſibi ſacræque Coronæ ſuæ fidem & clientelam profiteri cogerent: ut hac ratione arbitrio ſuo Principes eis imponere, ac cum res poſceret, æris militumque ſubſidia poſſent imperare. Scutum Serviæ caput apri ſilveſtris oſtentat, ſagittam ori infixam gerens, in campo rubeo.

## §. V.

### *De Regnorum* Galliciæ et Lodomeriæ *Titulis atque Inſignibus.*

Ruſſia Rubra quæ ambitu ſuo Galliciam, Lodomeriam pluresque alias ditiones complectitur, in plures olim regiones & ducatus diviſa fuit, quarum ſingulæ ſui juris ſingulis parebant Principibus, nulli genti obnoxiis, niſi quod fœderibus nunc huic nunc illi prout res poſtulabat, conſociari conſueverint. Ruſſorum, qui Hungaris contermini ſunt, partem aliquam primus bello ſubegit S. Ladislaus Rex A. 1084., obedientiamque ac fidelitatem profeſſos in gratiam recepit (*b*). Atque hæc prima fuit opportunitas, qua Hungari in Ruſſos dominari cepere: adverſum quos, quod obedientiam fidemque datam violaverant, Colomanus Rex arma moviſſe legitur. Altera Ruſſiæ ſub nomine Galliciæ ac ſubinde Lodomeriæ facta acquiſitio paulo ſerius accidit ſub Bela III. Rege, ut adeo non ſine ratione eidem Galliciæ Regis titulus attributus legatur (*c*). Juvat rem ut geſta fertur enarrare. Miecislao, quod Matre ipſa confitente ſuppoſitus haberetur, excluſo, Vlodomirus apud Gallicienſes principatum obtinuerat; Caſimirus Poloniæ Dux Miecislai precibus exoratus, in Galliciam cum exercitu veniens, profligato Vlodomiro Miecislaum Gallicienſibus Ducem imponit A. 1182. Vlodomirus regno extorris in Hungariam ad Belam III. Regem ſe recipit. Interea temporis Gallicienſes Miecislaum, quod intimam cum Polonis amicitiam coleret, deteſtati, quia

(*a*) In Epiſtola ad Innocentium III. Papam A. 1204. data hoc habetur exordium: Hemericus — — Hungariæ Dalmatiæ Croatiæ Ramæ Serviæque Rex ſalutem. — ibidem ad An. cit.

(*b*) „ Poſt hoc, *inquit chronicon M. Thurocii,* „ Rexglorioſiſſimus invaſit Ruſſiam, eo quod „ Cunni per conſilium eorum Hungariam intraverant, cumque vidiſſent ſe Rutheni male „ coarctari, rogaverunt Regis clementiam & „ promiſerant Regi fidelitatem in omnibus, quos „ Rex piiſſimus gratanter accepit.

(*c*) In Inſtrumento Concordiæ Jadrenſes inter ac Arbenſes initæ hæc habentur: „ Anno Dominicæ Incarnationis MCXC. Menſe Junii die S. S. „ Joannis & Pauli, indictione VIII. Jadræ temporibus Domini noſtri Belæ Dei Gratia Invictiſſimi Regis Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ „ nec non Galliciæ. „

quia vi aperta regno dejicere nequibant, porrecto clam veneno ſuſtulere A. 1185. Quo comperto Caſimirus Poloniæ Dux cum exercitu advolat, Romanumque Lodomeriæ Ducem invitis Gallicienſibus obtrudit. Bela III. Hungariæ Rex a Gallicienſibus, qui Duci Polonis amico parere nollebant, rogatus Andream ſecundogenitum filium ſuum juſto cum exercitu in Galliciam dimittit, Vlodomiro exule, homine, ut eorum temporum æqualis Vincentius Kadlubko teſtatur, admodum crudeli, ne quid turbarum ciere poſſet, apud ſe in cuſtodia retento. Andreas ſub exitum anni 1185. aut ſequentis principium in Galliciam delatus, Romano Duce Lodomeriæ victo fugatoque, ſumma Gallicienſium gratulatione in principem regionis arcem ingreſſus, accepto a Primoribus fidei ſacramento Galliciæ poſſeſſionem cepit. Quid in hac Galliciæ occupatione a Bela III. peccatum criminari poſſint ſcriptores Poloni, non video. Gallicienſes enim ſumma voluntate ultro ſeſe Regni Hungariæ filio ſubmiſere, atque propterea, ut potentem haberent Principem, qui ſe una atque ſubditos contra Polonorum vim tueri poſſit. Quod Vlodimirum captivum apud ſe retinuerit Bela III., provide factum: neque enim illum Gallicienſes repetiere; neque Andreas cum Galliciam ingreſſus fuit, ut populum falleret, finxit ſecum adeſſe Vlodimirum, qua de fraude ne verbo quidem meminit coævus Kadlubko, adnotaturus id certe in rei geſtæ narratione; ſi reapſe accidiſſet. Itaque Dlugossi de hoc criminationem nullo coævo teſtimonio nixam inter commenta reponendam exiſtimo (*a*). Quod ſi autem Vlodomirus ea tempeſtate a ſuis repetitus non fuit, Bela III. citra Ruſſicæ gentis injuriam eum cuſtodiæ dedit, ne ſi liber dimitteretur, ſeditionem movere, attritæque pluribus bellis Galliciæ cædes vaſtitatemque inferre poſſet. Atque ex his inferre licet, Gallicienſes A. 1185. ſpontanea oblatione in Belæ III. Regis ejusdemque filii Andreæ dominatum conceſſiſſe. Verum non diu tranquillo eſſe licuit Andreæ, Vlodimirus enim corruptis cuſtodibus, A. 1187. e carcere hungarico elapſus, collecta prædonum manu, Galliciam infeſtare cepit. Primi illius conatus incaſſum abiere, Hungaro milite & Gallicienſibus Andream Ducem ſuum ſtrenue adverſus prædonum vim protegentibus. Itaque Vlodimirus Gallicienſes minime ad ſe reſtituendum comparatos videns, ac de victoria deſperans, ad Caſimirum Poloniæ Ducem confugit, ejusdemque opem implorat. Caſimirus ut erat gloriæ ultra modum appetens, etſi hominem latrociniis infamem ſibique infeſtiſſimum odiſſet, in gratiam nihilominus receptum juvandum ſuſcepit, continuoque, maximis licet Procerum ſuorum ingratiis, Nicolaum Palatinum Cra-

 covien-

(*a*) Confer ſi lubet Vincentii Kadlubkonis narrationem cum Joanne Dlugoſſo, editionis Lipſienſis A. 1711. Id obiter monendus lector, nos in Gallicienſibus viciſſitudinibus explicandis, de induſtria Polonorum Scriptorum Chronologiam ſecutos fuiſſe.

covienſem cum exercitu in Galliciam dimiſit. Minor tum erat Hungarorum, qui ANDREAM ſtipabant, numerus; minores item Gallicienſium vires, quam ut Polonis reſiſterent. Cum itaque opportuna militum auxilia ex Hungaria tempori non adeſſent, ANDREAS cum exiguo ſuorum manipulo ex Gallicia exceſſit, Vlodomirus autem in ſolium repoſitus fuit A. 1188. Hinc Hungaros inter & Polonos exortæ lites biennio poſt inita pace terminatæ ſunt. Quo tempore Hungaros ſuis in Ruſſiam Gallicienſem juribus renunciaſſe DLUGOSSI fabula eſt: nil de hac renunciatione KADLUBKO meminit (*a*), ſolummodo juxta SS. Adalberti & Stephani inſtituta amicitiam ita initam referens, ut communes utrique genti eſſent amici & hoſtes. Imo vero ſunt, quæ ſuadeant jura Hungariæ in Ruſſiam ea pace ſtabilita fuiſſe. Certe BELA III. filium ſuum Galliciæ poſſeſſione, nullo ſuo commodo excidere, minime paſſus fuit: illa etiam concordia Vlodomirum inter & Hungaros deinceps culta argumento eſt, Vlodomirum, ut ſe in ſolio confirmaret, atque ab Hungarorum, qui ſibi formidandi erant, impetitionibus tutum præſtaret, clientelam Regi Hungaro profeſſum fuiſſe. Fidem opinioni noſtræ conciliant Literæ ANDREÆ II. Regis Hungariæ ad Innocentium III. Pontificem paulo ſerius datæ, quæ Gallicienſes Regi Hungaro antea jam ſubjectos fuiſſe evidenter oſtendunt (*b*). Vlodomiro ſubinde A. 1198. ſine liberis exſtincto, Lodomeriæ Dux Roma-

(*a*) En verba coævi Kadlubkonis Cap. XVIII. pag. 797. „ Regis quoque Panoniorum fœdera „ idem, qui eadem (*Vlodomerium contra Hungaros* „ *adjuvando*) diſſolviſſe arguebatur, Palatii Prin- „ ceps Nicolaus, cum ſemper memorato Cra- „ covienſium Præſule Fulcone ad perfectum re- „ dintegrant, juxta ſanctorum inſtituta Regis „ videlicet Beati Stephani & S S. Polonorum „ Patroni Adalberti, communiter debere coli „ utriusque regni amicitias, communiter alterius „ hoſtilitates inſectari, communes fore proſpe- „ ritatum ſucceſſus, ad indirimentes neceſſita- „ tum ſuccurſus „ ne veſtigium quidem hic reperies, aut Hungaros juribus ſuis renunciaſſe, aut Ruſſos in jus Poloniæ tranſiiſſe.

(*b*) Ad probandum, BELÆ III. tempore ac ANDREÆ II. regiminis principio multo jam ante quam COLOMANUS Rex fieret, Vlodomirum Galliciæ, & Romanum Galliciæ Lodomeriæ ac totius prope Ruſſiæ armis ſubactæ Ducem S. Coronæ Hungaricæ obnoxium fuiſſe; juvat nonnulla ex literis ANDREÆ II. Regis ad Innocentium III. Pontificem A. 1212. vel 1213. datis paulo accuratius ad examen revocare, ſic autem habent: „ S. S. in Chriſto Patri Innocentio Dei „ gratia ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo „ Pontifici, ANDREAS eadem gratia Ungariæ, „ Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, GALLI- „ CIÆ LODOMERIÆ Rex. „ Adverte ANDREAM Regis GALLICIÆ & LODOMERIÆ titulo uti, prius quam COLOMANUS regnum adivit. Tum vero. „ Noverit *inquit* ſanctitas ve- „ ſtra, quod GALLICIENSES PRINCIPES ET „ POPULUS NOSTRÆ DITIONI SUBJECTI HU- „ MILITER a nobis poſtularunt, ut filium no- „ ſtrum COLOMANUM ipſis IN REGEM PRÆ- „ FICEREMUS. „ Itaque ANDREA II. teſte, Gallicienſes Principes & populus ditioni Hungariæ ſubjecti erant, ante quam COLOMANO inaugurationis tempore fidei ſacramentum dixere. Qua ratione porro Gallicienſes ditioni ſuæ ſubjectos affirmare potuit ANDREAS? niſi jam prius Vlodomiri nempe & Romani Ducum tempore S. Coronæ Hungaricæ obedientiam clientelamque voviſſent: ut taceam jam tum cum ANDREAS vivo adhuc Patre BELA III. Galliciæ poſſeſſionem adiit, regionem hanc in jus Hungariæ tranſiiſſe. Neque prætereundum hic illud, HUMI-

LITER

Romanus, Leſci Cracoviæ Ducis armis adjutus, Galliciæ Ducatum obtinuit, fauſto ſane omine ut Gallicia nova Lodomeriæ acceſſione auctior ad Hungaros rediret. Ceterum Romanus, ut ſe in regno confirmatum vidit, quo in Polonos eſſet animo, palam fecit: obliterata enim beneficii memoria, toto, quo vixit tempore, atrociſſimum Polonorum hoſtem ſeſe exhibuit. Tum vero ad conſtituendam in Ruſſia monarchiam curas omnes traduxit; hinc Gallicienſium, Lodomerienſiumque Primores, qui dictis minus audientes erant, e medio ſuſtulit; vicinos autem Ruſſiæ Duces pene omnes belli pacisque artibus ſubjugavit, adeo ut non jam ſoli Galliciæ & Lodomeriæ, ſed toti Ruſſiæ rubræ ſolus imperaret (*a*) Hungaris Clientelæ titulo obnoxius. Romano A. 1208. in pugna cum Polonis ad Zavichoſtium occiſo, complures Ruſſorum Duces exemplo Romani ad Ruſſiæ totius dominium aſpirabant. Si Ruſſorum Annalibus fides, primus poſt Vlodomirus Igorevitzius faventiorem ſibi nactus fortunam, apud Ruſſos principatu potitus fuit. Verum mox anno inſequente Andreas II. Hungariæ Rex pro ſupremo in Ruſſiam jure Vlodomiro Igorevitzio in ordinem redacto, ejus germanum Romanum Igorevitzium Ducis titulo ſuffecit, ſibi ſacræque Coronæ ſuæ clientelam profeſſum. Romanus Igorevitzius haud diu Ruſſis præfuit, cum enim crudeliter in ſuos deſæviret, Ruſſi tyrannidis impatientes, querelas ſuas ad Andream II. Hungariæ Regem detulere: a quo copiis Hungaricis inſtructi, Ducem ſuum ejusdemque fratrem cum univerſa familia comprehenſum laqueo ſuſtulerunt A. 1212. Poſt horum cædem, ad Ruſſiæ dominatum aſpirabat Micislaus ſeu Mſtislaus Mſtislavicius Romani Ducis nepos. At Gallicienſes ceterique eis conjuncti Lodomeriæ, Ruſſiæque populi ſuæ gentis Ducum crudelitatem pertæſi, clementiorisque regimins deſiderio capti, miſſa in Hungariam communi nomine legatione, Andream II.

Regem

liter rogari Andream II. a Gallicienſibus, ut filium ſuum Colomanum Regem eis præficeret. Agnovere igitur Gallicienſes Regi Hungariæ jus competere principem eis præficiendi. Orabant nempe Andream II., ut pro ſupremo, quo in S. Coronæ ſuæ ditionem pollebat jure, non jam, ut hactenus uſitatum erat, e Ruſſica gente aliquem fiduciarium Ducem conſtitueret, ſed potius filium ſuum Colomanum regio titulo ornatum Principem ipſis præficeret, clementius multo, quam ſuæ gentis Duces, regno præfuturum. Certe ſi Gallicienſes ſui ad id tempus juris fuere populi, nullaque Regi Hungaro clientela obſtricti, omiſſis precibus, quibus Colomanum ſibi Regem præfici humiliter poſtularunt, paucis ſe eum Regem elegiſſe ſignificaſſent; neque Andreas II. ea phraſi, ad nunciandam filii ſui in Regem Galliciæ electionem uti potuiſſet. Ut itaque literis Regiis, quæ non temere ſcribi ſolent, ſua conſtet fides: dicendum eſt, Gallicienſes primum tum, cum Andreas A. 1185. regni poſſeſſionem adiit, S. Coronæ Hungaricæ ſemet ultro ſubjeciſſe, hanc ſubjectionem ſubinde & Vlodomirum & hujus ſucceſſorem Romanum ceterosque usque ad Colomani tempora profiteri debuiſſe.

(*a*) Quoniam Romano rerum potiente Lodomeria pluresque aliæ ditiones Galliciæ copulatæ ſunt, ab ejus morte non jam hæc ſola; verum & Lodomeria cum potiore Ruſſiæ parte in jus S. Coronæ Hungaricæ cum fœnore tranſlata fuit, unde pronum eſt rationem reddere, cur Andreas II. jam ab A. 1211. Galliciæ una ac Lodomeriæ ſe Regem ſcripſerit.

Regem Dominum ſuum *humiliter* oravere, ut pro ſupremo in ſe jure, non jam e Ruſſicis Ducibus, quorum ſævitiem toties experti fuerant, aliquem, ſed filium ſuum Colomanum Regio titulo eis Principem *præficeret* (*a*), offerentes. *Dlugoſſo teſte ſe illi fide & devotione ſincera parituros.* Quo quidem haud ſcio an luculentius aliquod ſeu ſubjectionis ex parte Ruſſorum, ſeu ſummi juris ex parte Regis Hungariæ deſiderari poſſit argumentum. Andreas II. Rex & quietis in Ruſſiam reducendæ, & unionis cum Romana Eccleſia conciliandæ ſpe animatus, Gallicienſium *Principum & populi ſuæ*, id eſt S. Coronæ ſuæ, *ditioni ſubjectorum humiliterque poſtulantium* votis perlibenter annuit, filiumque Colomanum regio inſtructum comitatu, in Galliciam dimiſit A. 1213. (*b*) Quo etiam una cum Conjuge Salomea Leſci Albi Cracoviæ Ducis filia Colomanus a Joanne Strigonienſi Archiepiſcopo, non ſine Ruſſorum gratulatione unctus & coronatus, accepto a ſuis fidei ſacramento Galliciæ, Lodomeriæ (*c*), ceterarum Ruſſiæ eo ſpectantium ditionum poſſeſſionem adiit; ſolennitati huic teſtes aderant Vincentius Kadlubko Epiſcopus Cracovienſis, celebris ævo ſuo Scriptor, quo nos pariter uſi fuimus, & Ivo Poloniæ Cancellarius. Atque hac ratione accidit ſecundus Hungarorum in Ruſſiam ingreſſus, omni ex parte legitimus, quo per ſpontaneam Ruſſicæ gentis, repetitamque ſubjectionem, S. Coronæ Hungaricæ in Galliciam, Lodomeriam pluribus jam Ruſſiæ ditionibus auctam jura & dominatus denuo conſtabilita fuere. Ut adeo non temere egiſſe cenſendus ſit Andreas II. Rex, cum jam A. 1211. ſe Galliciæ & Lodomeriæ Regem in diplomatibus ſcribere cepit, uſuique per eum æque ac ſucceſſores ad noſtra usque tempora continuato initium dedit, ceu indubitatum publicumque juris S. Coronæ ſuæ in dicta regna monumentum. Annis aliquot a coronatione Colomani Regis interjectis, græcorum rituum retinendorum cauſa graviſſima ſeditione coorta, Micislaus opportunitate uſus, poſtquam præcipuos Gallicienſium ſibi conciliaſſet, Colomanum Regem obſedit, fameque ad faciendam deditionem compulit. Andreas II. Rex nil intentatum reliquit, quo filium e captivitate eliberaret: id quod etiam pace inita obtinuit: cujus ſi *Dlugoſſo* fides, hæc fuere capita: Micislaus triennio poſt Ruſſiam Colomano reſtitueret; interea autem tertiogenitus Regis Hungariæ filius Andreas Micislai Ducis filiam Conjugem

(*a*) Quæ hæc verba, ex Andreæ II. Regis ad Innocentium Pontificem literis excerpta explicanda ſint, paulo ſuperius in nota explicuimus.

(*b*) Dlugoſſus Coronationem Colomani paulo prius A. 1208. eveniſſe ſcribit, at Domeſtici una ac Ruſſici annales in eum quem ſtatuimus annum conſpirant.

(*c*) Romanus, ut ſupra indicavimus, Galliciæ conjunxit Lodomeriam maximamque Ruſſiæ partem, conjunctaque hæc regna ſucceſſoribus Vlodomiro & Romano Igorevitziis Hungariæ fiduciariis Ducibus reliquit. His laqueo enectis cum Colomanus ſuffectus eſt, etſi ſolius Galliciæ mentio fiat, ſub hoc nomine, Lodomeriam una ac potiorem Ruſſiæ partem obtinuit. Opinioni noſtræ robur accedet ex literis Stephani V. quarum fragmentum paulo inferius recitaturi ſumus.

gem acciperet: eo nempe hoc conjugio ſpectabat Micislaus, ut Regem Hungariæ nova affinitate conciliatum, a vindicanda filii ſui captivitate prohiberet. Ceterum Micislaus pactis ſtetit. Nam A. 1218. Polonicis æque ac Ruſſicis Annalibus Colomanus ſumma Gallicienſium conſenſione iterum Ruſſiæ poſſeſſionem adiit. Ad extremum Ruſſorum a Romanis ſacris ultra modum abhorrentium fidei diffiſus Colomanus bona Patris Andreæ II. venia, A. 1221. Ruſſiam Micislao, prius tamen *teſtibus Ruſſicis Annalibus* S. Coronæ Hungaricæ obedientiam clientelamque profeſſo reſignavit (*a*). Poſt Micislai Ducis Ruſſiæ Hungaris fiduciarii obitum, circa A. 1225. Daniel Romanovicius Ruthenorum Dux Galliciam invaſerat; atrox eapropter Danielem inter & Hungaros bellum exortum fuit, commiſſa demum ad Caſtrum Iroslo decretoria pugna circa A. 1236., Hungari inſignem retulere victoriam, quam plures Ruthenorum Duces capti illuſtrem reddidere. Nec mora exauctorato Daniele Romanovicio, Radislaus Belæ IV. Regis Hungariæ gener (*b*) Ducis Galliciæ titulo fiduciariam S. Coronæ Hungari- cæ

(*a*) Ad A. 1221. ſic habetur. „ Mstislaus „ Mstislavicius reſtitutus quidem fuit in provinciam, ſed Regibus Hungariæ clientelari „ jure obnoxius manſit. „ Colomano autem Galliciæ loco terra Scepuſienſis & Sclavoniæ Ducatus ab Andrea II. Patre collatus fuit: adduxit ille vitam usque ad A. 1241. quo, ex vulnere in pugna cum Tartaris ad Sajonem accepto, obiit Zagrabiæ, ſepultus Chaſmæ apud F. F. O. Prædicat.

(*b*) Radislaum Galliciæ Ducem a Rege Hungariæ conſtitutum, exercituque hungarico adverſus æmulum Danielem adjutum, conſtat ex Diplomate Belæ IV. quod M. Laurentio, qui bellum id adminiſtrarat, contulit: „ Primo *inquit* „ *Bela IV.* ipſum *videlicet Laurentium* cum cariſ„ ſimo Genero noſtro Ratislao Duce Galliciæ in „ partes Ruſſiæ cum ceteris regni noſtri magnati„ bus duximus transmittendum, qui ſub Caſtro „ Iroslo Ruthenis quam plurimis in perniciem „ ipſius generi noſtri exeuntibus, de eodem & ar„ matam in expeditionem noſtram dirigentibus „ aciem, zelo devotæ fidelitatis armatus, vo„ lens potius poſt mortem vivere per famæ glo„ riam, quam tergum hoſtilitati hujusmodi ver„ tere ſe objecit, ubi transfoſſo hoſtili lancea „ crure ſuo, exſtitit lethaliter vulneratus, de„ inde cicatrice ſui vulneris nondum obducta, „ cum Daniel Ruthenorum Rex ad campeſtre „ prælium contra ipſum noſtrum Generum prodiiſ„ ſet, ſtrenuitas ejusdem Magiſtri Laurentii de„ ſidiæ obſcuritatem abhorrens, in lucem pro„ diit probitatis, & ſingulariter hoſtili ſe immi„ ſcens aciei, quendam de Ruſſiæ Baronibus im„ pulſu dejecit lanceali, quem ſupra dictus Ge„ ner noſter fecit capite detruncari. In quo „ conflictu, cum equus ſæpe dicti Ducis Generi „ noſtri perdilecti fuiſſet interfectus, idem Ma„ giſter Laurentius ſolitæ fidelitatis inſiſtens fer„ vori, vitamque jam dicti Ducis præferens vi„ tæ ſuæ, equum quo vehebatur eidem Duci „ tradidit, & ſe inter hoſtes confertiſſimos po„ ſuit, variis periculorum fluctibus involutum, „ ſicut præmiſſa ſupra dicti Ducis & multorum „ fidelium ac fide dignorum nobis relatio pate„ fecit. „ Poloni Scriptores victoriam de Daniele relatam ad Annum 1226. affigunt, at decennio ut minimum tardius evenerit, cum Bela IV. a ſe M. Laurentium ad id bellum cum Genero Radislao miſſum dicat, qui non niſi A. 1236. Andreæ II. Parenti in regno ſucceſſit. P. Pray in Annalibus ad A. 1240. bellum hoc collocat. Ceterum parum id refert, cum certum nihilominus ſit, Radislaum Galliciæ præfuiſſe, armisque Hungaricis contra hoſtes adjutum fuiſſe. Habuit autem Radislaus Galliciæ Dux in matrimonio Annam Belæ IV. Regis filiam, ex qua ſuſcepit Cunegundem, quæ poſtea Ottoca- ri

cæ Ruſſiam moderandam ſuſcepit; qui ut clientem ſeſe Hungariæ teſtaretur, non modo ut eorum temporum æqualis SIMON KEZA in chronico ſcribit, A. 1236. in coronatione BELÆ IV. Regis *Vaſallitio obſequio equum regium ſumma reverentia ducebat*; verum etiam vitam omnem in obſequio Regis Hungariæ exegit (*a*). A morte Radislai Ducis, Reges Hungariæ in more habuere, Ruſſicis ditionis ſuæ populis indigenas Duces præficere, quos & affinitatis nexu & fidelitate Hungariæ conjunctos fuiſſe vel ex fragmento diplomatis, quod paulo inferius in nota recitaturi ſumus, intelligi poterit (*b*). Denique Galliciæ & Lodomeriæ regna cum eo ſpectantibus ditionibus toto BELÆ IV. Regis vitæ tempore, ac poſt hujus A. 1270. e vivis ſublati obitum STEPHANO V. rerum potiente, S. Coronæ Hungaricæ non ſecus atque alia Dalmatiæ & Croatiæ regna paruiſſe, extra dubium omne collocat luculentum Regis ipſius STEPHANI V. teſtimonium. Is etenim in pacis A. 1271. cum Ottocaro Bohemiæ Rege initæ tabulis, (*c*) ſequentia Regna: *Hungariam*, *Dalmatiam*, *Croatiam*, *Ramam*, *Serviam*, *Galliciam*, *Lodomeriam*, *Comaniam*, *Bulgariam totumque Ducatum Sclavoniæ* cum omnibus eo ſpectantibus ditio-

KI II. Bohemiæ Regis a Rudolpho I. Cæſare victi cæſique uxor fuit, per quam Regum Hungariæ & Ducum Galliciæ ſanguis ad Auguſtam usque M. THERESIAM propagatus fuit, ut in tabella genealogica oſtenſuri ſumus.

(*a*) In Diplomate A. 1243. Cruciferis dato ceteros inter regni Barones legitur: *Radiſlao Illuſtri Duce Galliciæ & Bano totius Sclavoniæ*, in alio item Equitibus Hieroſolymitanis A. 1247. collato: Magnificis: Stephano de Chák Comite Palatino, *Radiſlao Illuſtri Duce Galliciæ Bano totius Sclavoniæ*. Adverte obiter: poſt cladem tartaricam Radislaum Galliciæ Ducem Hungaris obnoxium fuiſſe.

(*b*) Danieli Ruſſorum Duci duo fuere filii, Leo & Romanus, quorum uterque in Hungaria ſæpius commorati & BELÆ IV. Regi, ut fiduciarios decebat, bello navaſſe operam leguntur. Leoni Duci BELA Rex filiam ſuam Conſtantiam: Romano autem Gertrudem Auſtriacam, quæ ſua Hungaris in avitas ditiones jura ceſſerat, Uxores dedit. Quæ ſanguinis conjunctio argumento eſt, optime Hungaris ea tempeſtate cum Ruſſiæ Ducibus conveniſſe.

(*c*) Juvat huc fragmentum tabularum adſcribere: „ Includentes *inquit* STEPHANUS V. eidem paci & eadem vallantes regna noſtra, „ videlicet: Hungariam, Dalmatiam, Croatiam, „ Ramam, Serviam, *Galliciam*, *Lodomeriam*, „ Comaniam, Bulgariam totumque ducatum Sclavoniæ, *cum omnibus attinentiis eorundem*, *ſecundum ſigna diſtinctiones & metas antiquas*, *prou* „ *etiam progenitores noſtri*, *& anteceſſores Reget* „ *Hungariæ*, *usque tempus vitæ Domini Belæ glorioſæ memoriæ Patris noſtri poſſederunt*, *& te-* „ *nuerunt*. Itaque STEPHANO V. teſte omnia hæc regna reapſe poſſedit BELA IV. Poſſedit item STEPHANUS V. tametſi Galliciæ & Lodomeriæ titulis hoc ipſo tempore alios uſos in his ipſis tabulis legamus. Fiduciarii nempe Hungaris fuere hi Duces, ſacræque Coronæ clientes. Poſt enumeratas denique pacis conditiones teſtes ſubjunguntur. „ Item prædictæ ordinationi & paci includi volumus & includimus Excellentes Dominos Philippum Francorum & Carolum Siciliæ Reges illuſtres —— „ Bouslaum Cracoviæ & Lodomeriæ, Boislaum „ Majoris Poloniæ — — milites Duces Generos „ noſtros — Leonem Generum hoſtrum Ruthenorum Ducem, Mitislaum fratrem ejusdem & Vazulem filium Vazulæ Duces Ruthenorum &c. Datum & actum in Caſtris apud „ Poſonium A. D. MCCLXXI.. Regni noſtri „ anno ſecundo V. nonas Julii. Tabulas integras vide in Annalibus R. Hung. P. Pray ad hunc annum.

tionibus juxta veteres limites, prout a deceſſoribus ſuis ac nominatim Patre ſuo Bela IV. poſſeſſa fuerant, ſibi ab Ottocaro ſtipulari diſerte poſtulavit. Quemadmodum igitur Hungariam fœderi huic incluſam Stephano V. Regi id temporis obnoxiam fuiſſe nemo in dubium revocabit; ita Galliciam cum Lodomeria eodem tractatu comprehenſam Hungariæ ſubjectam fuiſſe fateatur eſt neceſſe. Fœderis autem hujus teſtes atque vades ceteros inter Stephanus V. appellat Bouslaum Lodomeriæ Ducem, Leonem ſororis ſuæ Conſtantiæ maritum Danielis Ruſſiæ Ducis filium, Mitislaum hujus fratrem & Vazulem filium Vazulæ Duces Ruthenorum (*a*). Qui omnes totidem una teſtes ſunt Hungarici in Ruſſiam Dominii. Ladislao IV. qui Stephano V. A. 1272. defuncto in regno ſucceſſerat, Hungaris imperante, Ruſſiam in Hungarorum Dominio perſtitiſſe argumento eſt, quod in pluribus ejus diplomatibus Russiæ Banorum nomina legantur (*b*). Quod ſi autem ſeu Regis hujus ſocordia, ſeu triſtiſſimo eo tempore, quo tres æmuli: Venceslaus Bohemus, Otto Bavarus & Carolus Robertus Andegavenſis Hungariam factionibus diviſerant, aliquid e Ruſſiæ limitibus per vicinos detractum fuit, id certe totum egregie vindicatum ſacræque Coronæ juribus reſtitutum fuit auſpiciis Ludovici M. Regis Hungariæ, jurium ſuorum vindicis religioſiſſimi. Hujus Regis ætate Ruſſiam omnem, de qua nobis ſermo eſt, S. Coronæ Hungaricæ paruiſſe, (*c*) ac inſuper Podoliam partim bello, partim tractatibus variis circa A. 1377. aſſertam, domeſtici æque ac Poloni ſcriptores confitentur. Provincias has Ludovicus M. ceu Coronæ ſuæ ditiones non una vice auſpiciis ſuis, Hungarorumque ſuorum dextris adverſus infeſtos ſæpius ea tempeſtate Lithuanos æque ac Tartaros ſtrenue fortiterque tutatus fuit, ac de utriusque hoſtibus non una vice glorioſiſſime triumphavit. Fatendum quidem eſt, Ludovicum Magnum tractatu A. 1352. cum Caſimiro Poloniæ Rege Avunculo ſuo inito, Ruſſiam rubram eidem; non item ſeu Reipublicæ ſeu Coronæ Polonicæ, ad tempus poſſidendam reliquiſſe: quo tempore Regnum hoc nec a S. Corona Hungarica alienatum, nec juris Polonici effectum fuit, ut ex adjecta tractatui huic conditione conſtat: ita enim tranſegerat Ludovicus M., ut ſi Caſimiro maſcula proles naſceretur; Ruſſia, numeratis



(*a*) Duces hi variis Ruſſici Regni, a Romano olim ſtabiliti, atque ad Hungaros bello paceque devoluti partibus præerant, S. Coronæ Hungaricæ fiduciarii. Ut adeo Joannes Archidiaconus Ludovici M. Regis Hungariæ notarius merito *Regnum Ruſſiæ S. Coronæ Hungaricæ ſubjectum appellaverit.*

(*b*) In diplomate Ladislai IV. quo confirmat fundationem Monialium in Inſula B. V. M. alias Leporum dicta prope Budam A. 1273. ſequentes Bani leguntur: Erneo Bano de Boszna & de Sohul, Joanne Bano de Machow, Stephano Bano de Rusznya, Georgio Bano de Boranch & de Kukhow, Paulo Bano de Zeurinnio &c.

(*c*) Sic novimus: Theodoro Keriatovich pro nonnullis Podoliæ ditionibus Munkacſienſem Ducatum, Ladislao Oppeliæ Duci ampliſſima in Hungaria latifundia a Ludovico M. Rege collata fuiſſe.

prius per Hungaros centum florenorum millibus, ad Hungariam ſine diminutione rediret; quod ſi autem Caſimirum citra ſobolem maſculam obire contingeret; Ruſſia citra litrum Hungaris reſtitueretur; Poloniæ vero Regnum ex pacto, Procerum Polonorum conſenſione firmato, Ludovicum M. Regem ſuum agnoſceret (*a*). Neque aliter, ac conventum erat, accidit; Caſimiro enim A. 1370. ſine maſcula ſobole ſublato, Ludovicus M. ſolium Poloniæ conſcendit, Ruſſiam vero S. Coronæ ſuæ Hungaricæ ex pacto reſtituit, hungaricisque moribus per Præfectos Hungaros deinceps gubernavit. Atque de hoc tempore intelligenda ſunt ea, quæ Joannes Archidiaconus Kikelleöenſis Ludovici M. Regis Notarius & teſtis oculatus, de Ruſſia narrat. „ Poſtea *inquit* bina vice cum valida gente „ ſua, etiam extranea ad Regnum Russiæ Sacræ Coronæ Hungaricæ „ Subjectum pro defenſione ejusdem Regni contra Lithuanos eſt profectus, & „ fugatis hoſtibus ac fretus victoria, potentes viros: Petrum Banum primo, nec „ non venerabilem in Chriſto Patrem Dominum Emericum *forte Michaelem* Epiſ„ copum Agrienſem, ac Georgium Zudor, conſequenter Fratres ejus, ac poſt „ hæc Emericum Bebek, & poſt eum Joannem de Capol, ad regendum ipſum „ Regnum Vaivodas ſeu Capitaneos præfecit: qui Regnum prædictum bene & „ laudabiliter defenſantes ſub titulo S. Coronæ & regimine ejusdem Do„ mini Regis conſervaverunt. „ Quid his luculentius eſſe poteſt, ad demonſtrandum, Ruſſiam Rubram ea tempeſtate ſacræ Coronæ Hungaricæ fuiſſe ſubjectam. Ludovico M. die 12. Septembris A. 1382. Tyrnaviæ ſublato, geminæ fuere filiæ: Maria altera eademque primo genita; altera Hedvigis. Maria Hungarici Regni hæres univerſi Regni conſenſione effecta, ſolennique ritu inaugurata, Parenti ſuo in Hungaria cunctisque ad S. Coronam ejusdem ſpectantibus ditionibus, atque adeo etiam in Ruſſiæ Regno ſucceſſit. Hedvigis ſolam Poloniam

(*a*) Patet id ex ſummario literarum Ludovici M. A. 1352. Budæ infra octavas feſti Paſchæ datarum, quod Sommersberg Tom. II. SS. Rer. Sil. in Mantiſſa Diplom. pag. 81. refert, ac etiam recitatur in Libello: Recherches ſur Halicz & ſur la Wlodzimir pag. 52. & ſequentibus. Nil in literis his latet ambiguitatis: hoc ſenſu initam compoſitionem facto ipſo poſtea oſtendit Ludovicus M., cum a morte Caſimiri Regis, Ruſſiam S. Coronæ Hungaricæ reſtituit: atque in hoc ſingularis elucet Ludovici M. in Juribus S. Coronæ Hungaricæ tuendis religio, qui neque oblata ſibi hæredibusque ſuis Regni Polonici ſpe, imo certa ſucceſſione, induci potuit; ut Ruſſiam Rubram a S. Corona Hungarica avelli, Poloniæque adſcribi pateretur. Hac conditione ad tempus conceſſam Caſimiro Ruſſiam evincit teſtimonium Andreæ Olszovszky Procancellarii Poloniæ, qui in ſuis ad ſupremum Cancellarium Regni literis A. 1673. die 4. Auguſti datis, poſtquam adduxiſſet, cur XIII. oppida Scepuſii amplius Hungaris repetentibus non eſſent reſtituenda, ſubjungit. „ Alias etiam ad „ Ruſſiæ Ducatum cum Podolia, poſſet habere „ prætenſionem Imperator Leopoldus Rex „ Hungariæ numeratis centum millibus flo„ renorum, ut eſt in Pactis inter Ludovicum „ Regem Hungariæ: „ Itaque Pactorum horum apographum ſic habuit; quod Procancellarium legiſſe & intellexiſſe oportuit, ut id cum veritate ſcribere poſſet.

niam Provinciasque eas, quas Ludovicus M. jure Coronæ Polonicæ tenuerat, obtinuit: atque has ſolas Uladislao Jagelloni Lithuaniæ Duci Marito ſuo dotis nomine attulit; ut adeo eo conjugio nil in Hungaricas terras juris Uladislao acceſſerit. Poſtquam itaque Sigismundus conjuge Maria non invita, totius Hungariæ, quod electivum tum fuit, ſuffragio, Regni Hungarici gubernacula ſuſcepit, in hunc omnia S. Coronæ Hungaricæ jura ſunt transfuſa. Quapropter contra fas egiſſe cenſenda eſt Hedvigis, dum in ſororis ſuæ Mariæ Hungariæ Reginæ jura involavit, inſtiganteque Jagellone Lithuano, Ruſſiam, Podoliamque ab Hungaria avulſit; dum dictas Provincias, poſt Sororis ſuæ A. 1395. exſtinctæ obitum, adverſus legitimum Hungariæ Regem Sigismundum vi retinuit. Jure idcirco Sigismundus res Coronæ ſuæ ab Hedvige & Jagellone, idque ſæpius repetiit. Illius jura ac prætenſiones ratione non carere ipſe Uladislaus Jagello, Poloniæque Proceres cum alias agnovere; tum vero in Tractatu A. 1412. inito (*a*), quo conceſſa interim Jagelloni Ruſſiæ, Podoliæque poſſeſſione, litis deciſio dilata fuit ad quinquennium a morte utriuſque Regis. Ex eo tempore cum alias; tum Uladislai I. electionis tempore, nec non Mathiæ Corvini Regis ætate nec quidquam res ſuas repetiere Hungari. Reges autem Hungariæ, etſi temporum iniquitate preſſi, jura S. Coronæ ſuæ bello vindicare prohiberentur; non omiſere nihilominus, quod unum eis licebat, conſtante Titulorum & Inſignium Galliciæ ac Lodomeriæ uſu, aliisque ſignis ſua in memoratas Ruſſiæ ditiones jura propalam teſtari (*b*). Quod ſi au-

 tem

(*a*) Hunc aliosque tractatus ea de cauſa celebratos vide in Annal. Reg. Hung. atque in Analectis Scepuſii ſacri & profani P. Caroli Vagner e S. J. Tom. I. Viennæ Anno hoc editis.

(*b*) Puteanus Dupuy in opere citato pag. 357. ita in ſimili cauſa ſeſe explicat. „ On „ ne peut dire *les Rois* être negligens à re„ couvrer les droits uſurpés ſur eux, puisqu' „ ils n'ont pas toujours les moyens ouverts de „ faire la guerre: car ils n'ont que celui là, „ ayant beaucoup de conſidérations à faire, „ avant que de l'entreprendre, ſoit le ſalut de „ leurs peuples, le défaut d'hommes ou d'ar„ gent & de tout ce qu'il faut pour entrepren„ dre une guerre. De dire que la poſſeſſion „ de longtems fait préſumer, que les Rois „ ont abondonné leurs droits à ceux, qui les „ poſſedent, cela ne ſe peut dire des Princes „ généreux, qui mettent au plus haut point „ de leur gloire, de conſerver ſur tout les „ droits de leur Couronne, en telle ſorte, que „ les plus grands Politiques ont tenu, qu'il „ eſt toujours permis au Prince ſouverain de „ reconquerir ſon Pays par les mêmes moyens „ dont l'on s'eſt ſervi pour l'uſurper ſur lui, „ non obſtant quelque ſorte de preſcription que „ ce ſoit. „ Hæc Puteanus, ut ſalva oſtenderet perſtitiſſe Coronæ gallicanæ in Burgundiam jura, quibus octingentorum annorum præſcriptio opponebatur. In eandem ſententiam loquitur Jacques de Caſſan lib. citato pag. 168. „ D'ailleurs c'eſt une maxime certaine entre tous les „ docteurs, que la preſcription ne court point „ contre les Monarques & les Rois, *qui ne re„ connoiſſent que Dieu & leur épée*, d'autant que les „ ſeuls moyens ſuffiſans, pour interrompre la „ preſcription, qui ſont les conteſtations en „ juſtice, & les actes, qu'on fait pour ravoir „ les choſes uſurpées, ne pouvant ſe pratiquer „ envers les Rois, qui ne ſe ſoucient le plus „ ſouvent des admonitions, qui leur ſont faites „ par ceux, qui n'ont la puiſſance de les citer: „ on

tem nonnulli Regum Hungariæ per privatos, & citra univerſi Regni adhuc electivi conſenſionem initos tractatus, jura S. Coronæ ſuæ neglexiſſe videantur; quia limites poteſtatis ſuæ, per leges & juratas inaugurationis tempore factas Hungaris promiſſiones, admodum ea ætate reſtrictæ, tranſiliere, eorundem facta nil omnino juribus S. Cororæ offeciſſe cenſeri debent (*a*). Atque hujus generis exiſtimandæ ſunt Uladislai II. Regis Hungariæ cum fratribus, Joanne Alberto & Alexandro Poloniæ Regibus de utriuſque Regni Hungariæ & Poloniæ mutuis finibus ſtipulationes: notum utique eſt, ob alienatos Uladislai II. conniventia Regni Hungarici limites, & negligentiam in recuperandis amiſſis ditionibus, adeo Regi ſuo offenſos fuiſſe Regni Hungariæ Ordines, ut in generali conventu Peſtini A. 1505. celebrato, famigeratum illud decretum ediderint, quo cavebatur, ne, ſi Uladislaus II. ſine maſcula ſobole decederet, ullus deinceps exterus Rex Hungariæ eligeretur (*b*), ad quod obſervandum ſinguli jurejurando ſemet obſtrinxere. Atque ex his aliisque, quæ non eſt inſtituti noſtri huc adducere, ad liquidum oſtendi poteſt, Hungaros nil eorum unquam omiſiſſe, quibus vetera jura ſua ſarta tectaque ſervarent: ut adeo longiſſimi etiam temporis poſſeſſione ſacræ Coronæ Hungaricæ Jura aboleri minime potuerint: præſertim autem ſi, quæ Doctiſſimorum Juris publici interpretum ſententia eſt, inter Reges aut Gentes præſcriptio locum habere negetur (*c*). Quæ omnia ſi attenta mente animoque a partium ſtudiis libero expendantur,

„ on a mieux aimé preſumer, que la preſcription „ ceſſoit; que de juger, que l'occupateur aquit „ par long uſage la choſe par lui detenüe. „ Hæc ille ad tuenda Regis Galliæ in Luſitaniam jura contra 300. annorum tranquillam poſſeſſionem.

(*a*) Silentio hic præterimus renunciationem eam, quam Rudolphus II. Imperator totaque Domus Auguſtiſſima fecerat A. 1589. ad eliberandum e manibus Polonorum Maximilianum Archiducem: quam tantum abeſt ut calculo ſuo, quod tamen electivo adhuc tum regno opus erat, Ordines Hungariæ ratam habuerint, ut etiam eidem interceſſerint.

(*b*) Decreto huic jurati ſubſcripſere præter Cardinalem Strigonienſem X. Epiſcopi XL. Regni Barones & Proceres, CLXXX. legati Provinciarum.

(*c*) An præſcriptio inter Reges & gentes locum habeat: Juris Publici interpretes etiamnum diſceptant. Pro præſcriptione ſunt Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis Bellarminus, Lib. V. de Rom. Pontifice Cap. IX Hugo Grotius de Jure Belli & Pacis Lib. II. Cap. IV. Cl. P. Franciſcus Schmier O. S. B. Jurisprudentiæ Publicæ Lib. II. Cap. II. Sect. III. & qui ibidem citantur. Adverſam tenent opinionem Vaſquius Ill. Controverſiarum Lib. II. Seybold de Repub. Chriſt. Parte 12. Carolus Antonius Martini. S. C. R. A. M in ſupremo Judiciorum tribunali a Conſiliis Aulicis in Acad. Vindob. Prof. P. O. Poſitionum de Jure civitatis Parte II. Cap. XIX. pag. 290. Ubi patrimonia gentium uſucapione aut præſcriptione augeri poſſe, diſerte negat, eo quod id juris civilis inventum ſit. Ajunt nempe præſcriptionem in pœnam negligentiæ introductam eſſe in civitate: per eam auctoritate Principis aut Reipublicæ ceu Superioris, dominium ab uno ſubdito transferri in alium, id vero inter Principes locum habere non poſſe, qui nullum agnoſcunt ſuperiorem, ac velut in ſtatu naturali æqualitatis conſtituti cenſentur, quorum lites gladio dirimi oportet. Præterea præſcriptionem longiſſimi temporis hominis ætati commenſu-

dantur; palam fiet, MAGNAM MARIAM THERESIAM AUGUSTAM HUNGARORUM REGINAM APOSTOLICAM, nil ab æquitate alienum egiſſe, cum temporis opportunitate uſa, S. Coronæ ſibi hæreditariæ jura poſtliminio vindicavit; cum anno ſuperiore 1772. Galliciam, Lodomeriam, ceterasque eo ſpectantes Ruſſiæ Rubræ ditiones cum Podolia in ſuam redegit poteſtatem (a). Jam ad Inſignia explicanda transeamus. Gallicia geminas Coronas aureas in campo rubeo oſtentat: Lodomeria vero ſcutum cæruleum geſtat, quod binæ faſciæ teſſellis rubeis candidisve diſtinctæ transverſim permeant.

## §. VI. & Ultimus.

### *De Cumaniæ, Bulgariæque Titulis & Inſignibus.*

Cumania inter Tyram & Pontum Euxinum a Ruſſis protenſa; a Tranſilvanis autem ad Iſtrum, rurſusque ad mare nigrum in vicinia Transalpinæ excurrens ab Hungaricæ originis populis, qui Pacinacitæ & ſerius Cumani appellati ſunt, habitata fuit. Regio hæc, quia continuis Tartarorum incurſionibus expoſita erat, univerſa Cumanorum gens una cum Duce ſuo Kutheno, bona Belæ IV. Regis venia, in Hungariam immigravit, eamque ditionem Peſtinenſi provinciæ conterminam, quæ hodie Cumania minor audit, colendam obtinuit A. 1239. Quamdiu Kuthenus gentis Dux in vivis fuit, Bela a Cumaniæ titulo abſtinuit; at eo, quod

menſuratam eſſe, cujus ætatis terminis gentium, quæ nunquam emoriuntur, ætas circumſcribi non poteſt. Opinionem hanc magno ſtudio tutati ſunt Gallicani Miniſtri ſuperiore ſeculo, qui hoc fundamentum jacere neceſſe habebant, ut Coronæ Gallicanæ in univerſam pene Europam jura, inde a Carolo M. repetita conſtabilirent. Juvat Puteanum Dupuy loco citato pag. 360. de hoc differentem audire, ſic autem habet: „ Entre „ les Rois & Princes ſouverains les choſes ne „ peuvent pas aller ainſi: d'autant qu'ils n'ont „ ni loix particulieres, qui aient reglé entre „ eux le tems de telle preſcription: ni aucuns „ juges, ni magiſtrats communes, devant lesquels l'on puiſſe agir ou faire aucune pourſuite „ pour les interrompre; ni avoir recours ſur „ les différens qui peuvent ſurvenir entre eux; „ tellement que par la raiſon commune, qui „ veut, que nulle poſſeſſion ne faſſe préjudice „ à celui, qui n'a pas faculté d'intenter ſon „ action, & les Rois à défauts de ſuperieurs „ étans en ces termes; telles poſſeſſions de fait, „ ne ſont jamais de conſequence. Un Roi mal „ conſeillé, mal informé, un Roi foible, occupé en guerre civile ou étrangere: un Principal Miniſtre connivant ou corrompu par „ l'uſurpateur; un Roi, qui trouve ſon état „ épuiſé, ou d'hommes, ou de finances, qui „ n'a pas de moyens d'agir par armes contre un „ Prince ſon voiſin, qui occupe un de principaux membres de ſa couronne, peut-on dire? „ que le tems, qui court pendant ces foibleſſes, „ pendant ces impoſſibilités, ſoit à ſa perte? „ lui qui a la juſtice de ſon côté? „ Hæc ille operis ſui Cap. V. quo toto multis labefactat præſcriptionem inter Principes. Similia his lege apud Caſſanum Lib. I. Cap. 3. a pag. 165.

(a) Hæc quæ de M. MARIÆ THERESIÆ AUGUSTÆ juribus in Ruſſiam Rubram &c. adduximus, copioſius explicata reperies in Prævia Explicatione Jurium Hungariæ in Ruſſiam Minorem & Podoliam &c. edit. Vindobonæ A. 1772. Typis Joannis Thomæ Nobilis de Trattnern, quo Lectorem relegamus.

quod cum Tartaris colluſiſſe videbatur, per Hungaros Peſtini interempto, quamprimum Tartaris ex Hungaria dilapſis, BELA IV. Rex domum rediit, continuo Cumaniæ Regem ſe ſcripſit (*a*). Regionem porro a Cumanis deſertam quæ hodiernæ Moldaviæ reſpondet, Valachi deductis eo coloniis frequentare cepere, Hungariæ obnoxii; quos ſubinde, quod obedientiam detrectarent, LUDOVICUS M. A. 1371. bello perdomitos, rurſum Hungariæ vectigales fecit. Scutum Cumaniæ cœleſtini coloris, cui coronatum Leonem inſcriptum gerit Stella ſuperius; inferius ſuna collucente.

Poſtremum inter titulos Regum olim locum obtinebat Bulgaria Serviæ contermina, ſecundoque Danubio ad Pontum Euxinum procurrens. Primus eandem eo, quo Serviam tempore, ſubegerat, titulisque Regiis aſſeruerat EMERICUS Rex, ſed amiſſa mox ditione, ejus quoque titulo uti deſiere ſucceſſores uſque ad STEPHANUM V. qui vivo adhuc Patre BELA IV. A. 1267. ob devictos Bulgaros, Sacræque Coronæ Hungaricæ ſubjectos, BULGARICUS appellatus fuit. Quapropter in ipſo regni ſui aditu A. 1270. Bulgariæ ſe Regem ſcripſit (*b*), more ad ſucceſſores Reges propagato. Scutum Bulgariæ rubeum faſcia cœrulea a ſummo ad imum tranſverſe ducta in duas partes biſſecat; cui faſciæ venaticus Canis currenti ſimilis inſertus viſitur.

Atque hæc de S. Coronæ Hungaricæ Titulis & Inſignibus dicta ſufficiant (*c*), quæ mira Regni Hungarici incrementa, veteremque majeſtatem atque potentiam luculente oſtendunt. Sacra hæc Corona ſat diu atrociſſimas perpeſſa temporum viciſſitudines, poſtquam Auguſtæ Domui Auſtriacæ hæreditariam ſe devovit, magnis mox incrementis reflorere cepit: præſertim ſub Clementiſſimo M. MARIÆ THERESIÆ AUGUSTÆ imperio, cujus *Juſtitia & Clementia* nec non AUGUSTI ejus filii JOSEPHI II. Imperatoris *Virtute & Exemplo* ſpes eſt fore; ut ad ſublimiorem, quam unquam antea humanæ gloriæ apicem aſcendat: quod ut eveniat, noſtrum erit, PIIS FELICIBUS AUGUSTIS PRINCIPIBUS noſtris a ſupremo numine vitam felicitatemque deprecari.

(*a*) In diplomate poſt reditum e Dalmatia VI. Calendas Februarii A. 1243. dato ſic legitur: „ Bela Dei gratia Hungariæ Dalmatiæ Croatiæ „ Ramæ Serviæ Galliciæ Lodomeriæ Comaniæ„ que Rex. „ In Annal. Reg. Hung. ad hunc annum.

(*b*) Literæ Monialibus B. V. M. in Inſula Leporum ad Budam datæ fidem faciunt: „ Ste„ phanus Dei gratia Hungariæ Dalmatiæ Croa„ tiæ Ramæ Serviæ Galliciæ Lodomeriæ Coma„ niæ Bulgariæque Rex — — Datum per ma„ nus M. Benedicti Præpoſiti Eccleſiæ Orodien„ ſis Aulæ noſtræ vice cancellarii, dilecti & fidelis „ noſtri. Anno Domini MCCLXX. Regni autem „ noſtri anno primo. Ibid. ad an. citatum.

(*c*) De hoc argumento alias etiam egimus in ſpecimine Heraldicæ Hungariæ Parte I. & II. ſed multo majore quam iſthic, compendio.

Š

